

LIBRI
IN LIBROS
S. N. T.



Contenta.

1. Georgij Calixtj Commentar. in Quatuor priorum capitulum Geneseos expositio literalis. 2. Historia Iosephj sive XVII posteriorum capitulum Geneseos expositio literalis. 3. Exodj XX priorum capitulum expositio literalis. 4. Lex Dei Mosaica. in classes iuxta Decalogum digesta et ubi cum Ceremonialibus atq; iudicialibus, eo pertinentibus Legibus exposita. 5. In Prophetis Præmium. 6. Expositio Oraculi de 70 Hebdomatibz Danielis. 7. de Usuris R. Mylin.
2. Georgij Calixtj Concordia Quatuor Evangelicorum scriptura et locorum etc. Explicatio.
3. Georgij Calixtj Historia Magorum. è cap. 2 Matthæj.
4. In Acta Apostolorum expositio literalis.
5. In Epistolam S. Pauli ad Romanos.
6. In Epistolam S. Pauli ad Corinthios priorem et posteriorem.
7. In Epistolam S. Pauli ad Galatas.
8. In Epistolam S. Pauli ad Ephesios.
9. In Ep. S. P. ad Colosenses.
10. In Ep. S. P. ad Thessalonicenses priorem.
11. In Ep. S. P. ad Philippenses.
12. In Ep. S. P. ad Titum.

Sammelband

46366.


12
12

5

12

12





10.


GEORGII CALIXTI
S. THEOL. D. ET IN
ACAD. IVLIA PRIMARII
PROF.

IN EPISTOLAM
SANCTI APOSTOLI PAVLI AD
COLOSSENSES

EXPOSITIO LITTERALIS.

QVOMODO ILLA ANTE ANNOS XXX. QVVM PVBLICE
PROPONERETVR EXCIPI POTVIT.

NUNC PRIMUM EDITA.



BRVNSVIGAE,

Typis & sumptibus ANDREAE DVNCKERI,
M. DC. LIV.



THEOLOGICAL
ACADEMY

COLLECTIONS

LIBRARY
UNIVERSITY OF
LEIPZIG



IN EPISTOLAM
SANCTI APOSTOLI
PAULI AD COLOSSENSES.

EXPOSITIO LITERALIS.

PROOEMIUM.



¶ Irca Apamæam, cognomen-
to Cilbotum, sita ad ostia fluvij Mar-
sya, coeuntis cum Mæandro, & Laodiceam, sitam ad Lycum fluvium,
maximas Phrygiarum urbium, alia
minora oppida & inter hæc Colossæ
positæ sunt, ut docet nos Strabo sub
finem lib. 12. Plinius etiam lib. 5. cap.
ultimo *inter oppida Phrygiæ Colossas*
numerat. In ijs flumen esse dicit (mirum nã fontem dixerit,
aut dicere voluerit) *in quo lateres conjecti lapides extrahantur*
lib. 31. cap. 2. Herodotus antiquissimus scriptor lib. 7. com-
memorat *Xerxem in Græcos cum famoso illo exercitu moventem*
venisse etiam Colossas Phrygiæ oppidum, ubi ait, Lycus amnis hya-
tum terra subiens occulitur, deinde fere quinque post stadia
emergens, elabitur & ipse in Mæandrum. Ptolomæus vero lib. 5.
cap. 2. *inter Caria civitates Laodiceam* collocat, & ubi de Phry-
gia agit, Apamæam quidem & Hierapolin conjungit, Co-
lossarum autem nullam mentionem facit, Eusebius in Chro-
nico autor est, Laodiceam, Hierapolin & Colossas anno im-
perij Neroniani decimo, qui est æræ Christianæ 64. terræ

motu concidisse, quod ex Eusebio forte depromptum adserit
 etiam Orosius lib. 7. cap. 7. Tacitus annal. 14. ad annum, quo
 consules Nero quartum & Cornelius Cossus Lentulus (est
 autem hic æra Christianæ 60.) retulit, & Laodicæa, utpote
 illustrioris præ cæteris, meminit. Manifestum hinc est, vici-
 nas fuisse tres has urbes, Laodicæam, Hierapolin & Colossas,
 uti in hac quoque Epistola cap. 1v, 13. tanquam vicinæ con-
 junguntur, & Colossenses (Κολοσσαῖοι vocat Epistolæ inscri-
 ptio, Κολοσῆνες Strabo) fratres qui Laodicæa sunt tanquam
 vicinos suos salutare, ijsque Epistolam legendam mittere,
 jubentur. Dubium igitur est nullum, quin fuerint Colos-
senses, quibus hanc Epistolam scripsit Apostolus, Laodice-
nis & Hierapolitanis vicini, atque adeo incolæ Colossarum
 oppidi Phrygiæ, ut maximopere aberret Suidas & alii po-
 stremæ ætatis Græculi, Iohan: Zonaras videlicet & Michael
 Glycas, qui Colossenses dicunt Rhodios esse, ita appellatos
 à Colosso Solis, qui Rhodii erat maximus, & miraculis mun-
 di, quæ ita vocant, accensebatur; suo autem tempore Co-
 lossas Chonam appellatas fuisse testantur OEcumenius &
 Theophylactus. *Colossa*, ajunt, *urbs Phrygiæ, quæ nunc dicitur*
Chona. Porro Colossas nunquam venerat Apostolus, ut
 constat ex cap. 11, 1. sed illi in religione Christiana instituti &
 edocti fuerant ab Epaphra, cap. 1, 7. qui, cum hæc scriberen-
 tur Romæ, apud Paulum agebat cap. 1v, 12. ei que in officio
 docendi Archyppus successisse videtur ex ejusdem capituli
 v. 17. Cæterum cœperant Colossenses etiam ipsi tentari, cum
 à Iudaizantibus, qui circumcisionem & ceremonias Mosai-
 cas obtrudebant, tum ab aliis perversis doctoribus, qui er-
 roribus suis Philosophiæ nomen prætexebant, ad cultum
 autem angelis præstandum & ad ritus à se institutos, discipli-
 namque corporis, quam excogitarent, observandam invi-
 tabant, sicut hæc omnia ex cap. 11, manifesta sunt. Omnino
 verosi-

verosimile est, originem duxisse à Simone Mago; Cum enim ipse, tum ejus discipuli, Menander, Saturnius, Basilides, & alij plurimi, atque hinc tandem exorti Gnostici & Valentiniiani docebant, ut scribunt Theodoretus, Epiphanius, & Augustinus, mundum ab angelis esse factum. Non quidem dicuntur coluisse aut adorasse angelos, alijsve ut id facerent persuasisse, id tamen ex eorum hypothesebus sequitur. Natura enim insitum est, ut quisque suum & mundi creatorem colat & veneretur. Si itaque angelos mundi conditores esse tradiderunt, eo etiam ipso homines ad *ἑρρηκίαν τῶν ἀγγέλων* induxerunt. Etsi vero quos recensebamus Simonis discipuli & subseclæ, qui postea hæresin propagarunt & interpolarunt, cum hæc scriberet Paulus, nondum fortè innotuerant: ipse tamen Simon jam tum à veritate defecerat, & absurdissimis illis suarum opinionum portentis homines seducere, omniumque, qui in Christiana Ecclesia postea extiterunt, hæreticorum auctor & parens esse cœperat. Qui exactius ista velit cognoscere, legat Irenæi vetustissimi Scriptoris lib. 1. unde pleraque sua depromserunt alij, qui post eum hisce de rebus scripserunt. Ita autem ille de Simone cap. 20. *Simon Samaritanus, ex quo universe hæreses postmodum extiterunt, habet hujusmodi Sectæ materiam. Hic Selenen quandam, quam ipse à Tyro civitate Phœnices, quaestuariam cum redemisset, secum circumducebat, dicens hanc esse primam mentis ejus conceptionem, matrem omnium, per quam initio mente concepit Angelos facere & Archangelos. Hanc enim ἐνοίαν exilientem ex eo cognoscentem qua vult pater ejus, degredi ad inferiora & generare angelos & potestates, à quibus & mundum hunc factum dixit. De Christo porro docebat Simon, semetipsum esse Christum. Verba Irenæi sunt: Cum enim male moderarentur Angeli mundum, quoniam unusquisque eorum concupisceret principatum, ad emendationem venisse rerum & descendisse eum transfiguratum & assimilatum virtutibus, potestatibus & angelis, ut & in hominibus*

bus homo appareret ipse, cum non esset homo, & passum in Judaea
 putatum, cum non esset passus cap. 21. De Menandro testatur &
 ipsum docuisse, quod mundus factus sit ab angelis cap. 22. De do-
 gmate Saturnini ex Antiochia Syria oriundi à septem quibusdam
 angelis mundum esse factum, & omnia quæ in eo. Et mox: Salva-
 torem ignotum demonstravit & incorporalem & sine figura: puta-
 tive autem visum hominem. Item: Nubere & generare à Satana
 dicunt esse. Multi autem ex iis qui sunt ab eo & ab animalibus ab-
 stinent, perfecta hujusmodi continentia seducentes multos c. 23.
 De Basilide, quod etiam hic creationem mundi potestatibus & non-
 nullis angelis adscripserit, Christum autem passum esse negaverit,
 sed Simonem Cyrenæum & hunc secundum ignorantiam & errorē
 crucifixum, transfiguratum ab eo, ut putaretur ipse esse Jesus, &
 ipsum autem Jesum Simonis accepisse formam & stantem irrississe
 eos. Porro cap. 24. Carpocrates & qui ab eo, mundum quidem, &
 ea quæ in eo sunt, ab angelis multo inferioribus ingenito patre factū
 esse dicunt. Tandem c. 30. Omnes qui quoquo modo adulterant
 veritatem & præconium Ecclesie ledunt, Simonis Samaritani Magi
 discipuli & successores sunt. Quamvis nō consiteantur nomen ma-
 gistri sui ad seductionem reliquorum; attamen illius sententiam do-
 cent, Christi quidē Iesum nomen tanquā irritamentum proferentes,
 Simonis autem impietatē varie introducunt mortificant multos.
 Hæc Irenæus de erroribus Simonis & discipulorū ac succes-
 sorum ejus, omnes, ut patet, de angelis & supernis potesta-
 tibus nova & absurda commenti sunt, & licet angelos ado-
 rari diserte non præciperent, tamen eo ducebant, quippe
 creationem illis tribuentes, & statuentes quasi minores &
 intermedios quosdam Deos. Quin Epiphanius de Simone
 agens supponit, ait, nomina quedam principatum & potesta-
 tum, cælosq; diversos tradit & in unoquoque firmamento ac cælo
 virtutes quasdam ponit, & nomina barbarica his indit, non posse
 vero aliter servari aliquem, nisi hunc mysticum ductum didicerit,
 & talia sacrificia patri universorum per eos principatus ac pote-
 states obtulerit. Hac saneratione illos suos principatus inter
 homi-

homines & Deum mediatores constituit. Porro Caiani ab eadem radice exorti nefarium aliquod opus patraturi, angeli cujusdam, quem ejusmodi operi præfectum docebant, nomen invocârunt: *O angele*, ajebant, *utor tuo opere, o potestas, ago tuam actionem*, ita Epiphanius hæresi 38. Idem hæresi 60. mentionem facit Angelicorum. Verum quod extincti jam pridem essent, num à cultu angelorum, an aliunde nomen duxissent incertus. Augustinus tamen cap. de hæresibus 39. in angelorum cultu inclinatos fuisse asserit. Item Isidorus Etymologiarum cap. 5. Et hinc Gratianus canone quidam autem causa 28. quæst. 35. *Angelici vocati, quia angelos colunt*. Chrysostomus homil. 7. in hanc Epistolam ad cap. 2, 18: *Sunt nonnulli, ait, qui dicunt non oportere per Christum reconciliari & ad patrem accedere, sed per angelos*. Hæc redolent Simoniana ista, quæ ex Epiphanio paulo ante producebamus. Theodoretus ad eundem locum: *Qui legem defendebant, eos etiam ad angelos colendos inducebant, dicentes, legem fuisse per eos datam*. Sed hoc minus verosimile & ab ingenio Judæorum idololatriam maxime averfantium alienum. Subjungit autem: *Mansit diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia, quocirca Synodus quoque, quæ convenit Laodicea, quæ est Phrygia metropolis, lege prohibuit, ne precarentur angelos, & in hodiernum usque diem licet videre apud illos & eorum finitimos oratoria Sancti Michaelis. Illi igitur hoc consulebant, utique humilitate utentes, dicentes, universorum Deum nec cerni nec comprehendere, nec ad eum posse perveniri, & oportere per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare*. Ista in eum locum Theodoretus, Synodus sanè celebrata Laodiceæ metropoli harum regionum canone 35. ut is hodie extat & à Gentiano Herveto conversus fuit, in hunc modum edixit: *Non oportet Christianos relietâ Dei Ecclesiâ abire & angelos invocare, vel congregationes facere, quod est prohibitum. Si quis igitur inventus fuerit huic occulta idololatria vacare, sit anathema, quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum, & accessit ad idololatriam*

Mirum

Mirum angelolatricam illam animis Phrygum tam alte infestasse, & monitis Apostolicis extirpari non potuisse, sed ad hanc usque Synodum, quæ Constantiniano imperio posterior est, perdurasse. Plura & certiora de hæreticis angelolatris non habemus. Quod igitur docebant, mundum ab angelis sive supernis quibusdam potestatibus factum esse, ei existimo opponere Apostolum quod est cap. 1. hujus Epistolæ v. 16. *per Christum condita esse omnia quæ in cælis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia*, ut etiam Christus inter Deum & homines mediator esse intelligatur, angeli vero ab hoc officio removeantur, propterea scribit c. 1, 26. & seqq. *Deum reconciliasse sibi omnia per Christum in corpore carnis illius*, ne metuerentur potestates illæ malorum geniorum, propterea docet *Christum exspoliata imperia & potestates traduxisse palam* cap. 2, 15. Porro negantibus mortem Christi opposuit cap. 1, 14. *in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius*. Et v. 20. *pace per sanguinem crucis ejus facta*. Et v. 22. *Reconciliavit eos in corpore carnis suæ per mortem*. Ritibus & traditionibus illis de abstinentia, quas postea amplexi sunt & auferunt Encratitæ à Tatiano oriundi (vide de his Eusebium Irenæi verba adducentem lib. 4. histor. cap. 27. Nuptias autem & cibum ab animalibus desumptum sive τὰ ἐμψυχα, ut ipsi appellabant, averfabantur) opposuit ea quæ sunt sub finem cap. 11, 20. & seqq. Sicut autem indicavimus, hosce errores à Simone Mago ejusque asseclis emanasse arbitramur, nec quicquam de iis aliud hoc ipso probabilius aut verosimilius porferri posse existimamus. Quamvis enim omnia illa ita ut postea factum fuit, tum temporis nondum proponerent, sive metu Apostolorum coërciti, sive quod errores ab auctoribus ab alijs ad alios, à paucioribus ad plures, à levioribus ad graviores prolabantibus sensim locupletari soleant. Ea tamen videntur tradita fuisse, quæ fundamentum

mentum essent reliquorum subsecutorum, & quæ indicis à patronis suis aucta in eam absurditatum & impietatum molem, quam in primis Ecclesiæ hæreticis Simonis successoribus indicio Irenæi aliorumque hujus vestigia legentium veterum Scriptorum deprehendimus, excreverint. Maneat igitur in confesso, fuisse Simonis quosdam asseclas, qui ad cultum angelorum, utpote creatorum mundi & mediatorum, per quos ad Deum accederetur, invitaverint, & certos ritus humilis submissionis & abstinentiæ à nonnullis ciborum generibus, per quam videlicet angelorum gratia conciliaretur, præscripserint. Præterea ab his, uti etiam à Judaizantibus tentatos fuisse Colossenses, non ita pridem ab Epaphra ad Christum conversos, sed hætenus masculè restitisse, & erroneis opinionibus locum nullum dedisse, id quod apparet ex cap. ii, 5. Illis itaque confirmandis & porro adversus fraudes & insidias falsorum doctorum muniendis, hanc Epistolam Romæ à vinculis misit Apostolus. Vbi primo de conversione & fide ipsis gratulatus, tanta bona, quibus nunc potiuntur, ostendit obtingere non nisi per Christum & prædicatum Evangelium, cuius ipse inter gentes sit minister, plurimas afflictiones isthòc nomine perpe- tiens. Hinc declarata sua pro illis sollicitudine monet, ne se sinant à Christo, per quem absoluta & completa perfectio habeatur, quiq; de peccato & dæmonibus triumpharit, ab- duci, & vel ad circumcisionem ac ceremonias Iudaicas, vel ad humanas inventiones de cultu angelorum & abstinentia certorum ciborum traduci. Vanis autem illis traditionibus, quarum observationem persuadere conabantur falsi docto- res, opponit vera pietatis exercitia, quibus occupatos oporteat esse fideles, nempe hortatur ad desiderium rerum cœ- lestium, ad mortificationem carnis & renovationem vi- tæ, sive ad fugam vitiorum & studium pietatis, hisque

B

gene-

generalibus cohortationibus & ad omnes fideles spectantibus subjungit particulares, quæ privatim certos pro diversa vocationis ratione concernant. Tandem generaliter omnes ad constans precandi exercitium & prudentiam ac suauitatem in vita & sermone excitans salutationibus concludit. Valde autem affinis est hæc Epistola Epistolæ ad Ephesios, & convenit cum ea in multis, non modo quoad sententias, sed etiam quoad verba, & quæ ibi exposita sunt, hic etiam locum habeant, nec operæ pretium sit denuo repeti,

PRIMUM CAPVT.



v. 3.

Vb initium more suo gratiam & pacem Colossensibus apprecatur. Iungit autem sibi Timotheum, quod celebris doctor & magni in Ecclesia nominis esset, ac Romæ jam ageret. Porro GRATIAS, ait, AGIMVS DEO ET PATRI DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI (vide quæ diximus ad Ephes. 1, 3. Observandum præterea, Deum, ut à nobis fidelibus ad salutem cognoscitur & consideratur cognosci & considerari non modo ut Deum, verum præcipue ut Patrem Christi, in quo tanquam genuino filio nos adoptarit, & suos etiam filios esse voluerit) SEMPER PRO VOBIS ORANTES. POSTQVAM ACCEPIMVS, cum primis ex narratione Epaphræ, DE FIDE VESTRA IN CHRISTO IESV, qua videlicet in Christum creditis, ET CHARITATE, QVAE IN OMNES SANCTOS EXERCETIS. *Fides enim per charitatem efficax est Gal. v, 6. atque adeo vivæ veræque fidei perpetua comes est charitas. Vos itaq; ex quo credidistis, fidem quoque vestram pietate & charitatis officijs erga omnes, maxime vero erga domesticos fidei Gal, 6, 10. declarastis. Quo nomine & propter tantum,*
quod

v. 4.

quod vobis divinitus obtigit, beneficium Deo gratias agimus, & ut perpetuum vobis id esse jubeat, eundem oramus. PROPTER SPEM SEPOSITAM VOBIS IN COELIS. Spes metonymice pro rebus speratis, ut Ephes 1, 18. nempe gratias agimus, quod vobis etiam bona cœlestia nunc speranda sint, quodque una nobiscum *spe salvi sitis facti*, ut est Rom, VIII, 24. Oramus autem ut via, quam ingressi estis, pergentes ad possessionem æternæ beatitudinis aliquando perveniatis, & non modo spe, sed re quoque ipsa salvemini, QVAM spem, sive de quibus bonis PRIVS AUDISTIS & instituti estis PER SERMONEM VERITATIS, nempe EVANGELII, QVOD PERVENIT AD VOS, SICUT ET IN TOTVM MVNDVM, cultum videlicet & cognitum pervenit si non in singulos vicos aut oppida, attamen in omnes provincias orbis, qui Romanis hodie parer, & alias etiam, quæ hisce adjacent. Sane Irenæus qui non nisi uno seculo posterior est nostro Apostolo, cum recitasset confessionem fidei, quæ cum Symbolo, quod hodie Apostolicum vocamus, plurimum convenit, ita subjungit lib. I, cap. 3: *Hanc prædicationem & hanc fidem Ecclesia adeptæ, quanquam per totum mundum dispersa, diligenter conservat, quasi unam domum inhabitans, & similiter his credit, velut unam animam & idem cor habens, & consonè hoc prædicat & docet ac tradit, velut uno ore prædita. Nam lingua in mundo dissimiles sunt, verum virtus traditionis una & eadem est, & neque in Germaniis fundata Ecclesia aliter credunt aut aliter tradunt, neque in Hispaniis, neque in Celtis, neque in Oriente, neque in Ægypto, neque in Lybia, neque hæc, quæ in medio mundo constituta sunt.* Superiore capite dixerat, Ecclesia quanquam per universum orbem terrarum usque ad fines terræ dispersa, ab Apostolis & ipsorum discipulis fidem accepit, quæ est in unū Deum omnipotentem &c. Ex hisce manifestum est, quantus fuerit Apostolorum & apostolicorum discipulorum in propagando Evangelio fer-

V. 5.

V. 6.

v. 7.

vor, quantosq; mox primis ab ascensione Christi annis progressus fecerint; Evangelium, inquit, pervenit in totū mundum, **ET FRUCTVM PROFERT**, cum quia plurimi credunt, tum quia credentes prorsus renovantur, & vitam à pristina quam maxime diversam vivere incipiunt. **SICVT APVD VOS QVOQVE**, qui creditis & renovati estis, **EX QVO DIE AUDISTIS ET COGNOVISTIS** (statim videlicet exercuit suam efficaciam, & vos ab infidelitate & impietate ad fidem mox, ubi auditum fuit, traduxit) **DEI GRATIAM**, nempe quantam gratiam, quantaq; beneficia Deus hominibus offerat & impertire paratus sit **IN VERITATE**, id quod vere & sincere absq; omni fūco vobis est prædicatū. **SICVT ET** hoc ipsum de spe vobis in cœlis posita **DIDICISTIS EX EPAPHRA DILECTO CONSERVO NOSTRO**, qui videlicet in prædicando & propagando Evangelio mecum Christo inservit, **QVI EST FIDVS PRO VOBIS MINISTER CHRISTI**, pro vobis docendis videl. & instituendis, vel pro vobis, hoc est, vestro loco mihi propter Christum captivo & proinde Christo ipsi præsto est & ministrat. Eadem enim ratione dixit de Epaphrodito legato Philippensium, *propter opus Christi accessit ad mortem usque, ut suppleret defectum vestri erga me ministerij* Phil. 1. 30. **QVI ET DECLARAVIT NOBIS VESTRAM CHARITATEM IN SPIRITV**, hoc est, spiritualem & à Spiritu Sancto profectam, qua videlicet nō propter aliquod lucrū aut commodū vestrum, sed propter Deū alij alios prosequimini **PROPTEREA ET NOS EX QVO DIE AVDIVIMVS TALIA**, **NON DESINIMVS PRO VOBIS ORARE**, **ET PETERE VT IMPLEAMINI AGNITIONE VOLUNTATIS EIVS**, quæ videlicet concernit nostram justificationem & salutem, **CVM OMNI SAPIENTIA ET INTELLECTU SPIRITVALLI**, hoc est, attinente mysterium Evangelij, & articulos ad salutem nobis necessarios, q. d. impetramur ut rectè & plene intelligatis, quæ sit divina de homi-

v. 8.

v. 9.

nibus

nibus salvandis voluntas, sive, qua ratione & quibus mediis
 visum fuerit Deo homines sibi reconciliare, justificare & sal-
 vare. Imprecamur etiam vobis, **VT AMBVLETIS & vos**
 in tota vestra vita geratis, **SICVT DOMINO CONVENIT,**
 sicut decet eos qui Christo se servire profitentur. AEquum
 enim est, ut qualis sit disciplina Domini in servis, reluceat ad
 omnem complacentiã, ita nimirum ut studium & obsequiũ
 vestrum Domino Christo in omnibus placeat, **OMNIS O-**
PERIS BONI FRVCTVM PROFERENTES ET indies
 magis magisque **CRESCENTES IN AGNITIONE DEI.**
OMNI ETIAM POTENTIA POTENTES FACTI, non
 quidẽ ex vobis, sed **SECVNDVM GLORIOSVM ROBR**
IPSIVS, ab hoc enim pender omnis vis & facultas vestra. Po-
 tentiã autẽ dico **AD OMNEM TOLERANTIAM,** ut forti
 & constãti animo quasvis afflictiones perferatis, **ET LON-**
GANIMITATEM, ne injuriis illatis irritermini, & iracundia
 accensi perperã agatis. *Patentia enim proprie respicit tyran-*
nos & validiores, quibus resistere nõ possumus; Longanimi-
tas æquales aut inferiores, in quos injuriã retorquendi copia
suppetit. CVM GAVDIO, animo videl. alacri & hilari, non
 tantũ non dolentes, sed *gaudentes potius quod digni sitis qui pro*
nomine Jesu affligamini, ut est de Apostolis Act. v, 41. **GRA-**
TIAS AGENTES PATRI, QVI, cum à nobis inepti essem⁹,
IDONEOS NOS FECIT (*in ἀὐτῶν idem verbum 2 Cor. III, 6.*)
AD PARTICIPANDAM SORTEM SANCTORVM, ad beatã &
 coelestẽ hæreditarẽ una cum sanctis capeffendã (vide quã di-
 ximus Eph. I, II.) **IN LVCE,** fidei videl. in hac vita, & gloriã in
 altera. Christus enim *vera illa lux est, quæ illuminat omnẽ homi-*
nem venientẽ in mundum Ioh. I, 19. Eiusmodi autẽ illuminatio
 in nobis hanc vitã viventibus inchoatur per fidẽ & agnitio-
 nem Dei ac Christi Ioh. XVII, 3, licet incompletam & quasi
 ænigmaticam I. Corinth. III, 12. In altera vero per claram &
 intuitivam visionem complebitur & consummabitur,
videbimus enim eum sicuti est I. Ioh. III, 2. **QVI ERIPVIT**

V. 10.

V. 11.

V. 12.

V. 13.

NOS E POTESTATE TENEBRARVM, ignorantia videlicet, infidelitatis & peccatorum, tum æterni exitij, quod ad hæc consequitur, & diaboli, qui in tales imperiū obtinet, AC TRANSTVLIT IN REGNUM FILII SVI DILECTI. Tenebris regnoque tenebrarum & diaboli, qui *princeps est tenebrarum* Eph. VI, 12. Opponit lucem ac regnum illud gloriæ, ad quod Christus nos Evangelio suo vocat, cuius gustū hic præbet & plenissimum fructum in coelis exhibebit, Ad eundem modum I. Pet. II, 9. *Vocavit vos è tenebris in admirabilem suam lucem.* Act. XXVI, 18. *Aperias oculos eorum, & convertas eos à tenebris ad lucem, & à potestate Satanae ad Deum.*

V. 14.

IN QVO HABEMVS REDEMPTIONEM PER SANGVINEM IPSIVS, REMISSIONEM, INQVAM, PECCATORVM, Deus enim remittendo nobis propter mortem Christi peccata nostra nos ab æternæ mortis reatu liberat, & à potestate tenebrarū eximit, Iisdem verbis usus est Eph. I, 7.

V. 15.

QVI EST IMAGO DEI INVISIBILIS, vide 2. Cor. IV, 4. Nempe cum Deus alias humanis oculis conspici non possit, in hoc suo filio mortalibus perspicue conspiciendum se præbet. Inserit autem Apostolus brevem quandam descriptionem personæ Christi, & ostendit eum verū esse Deum, verum quoque hominem, qui nos sua morte Patri reconciliarit. Itaque Christum esse imaginem Dei ad hunc modum interpretor: Sicut imago, quo perfectior est, eo perfectius rem, cuius imago est, repræsentat, & plurimum habet cum illa communiōne, ita quoque Christus imago Dei est & Patri similimus, quoniam habet divinam essentiam eandem cum Patre. Sicut tamen imago diversa est à suo exemplari, ita quoque Filius secundum personam à Patre distinctus est. Quoad ipsam autem essentiam, quam cum Patre eandem habet, Patri similimus est, eumque, ut perfectissima imago, per omnia repræsentat. Sed & hoc imaginis proprium est, ut sit

ut sit deducta & expressa ab eo, cujus est imago; quoniam igitur à Patre Filius est, & non vice versa, ideo Filius dicitur imago Patris, Pater autem non dicitur imago Filij. PRIMO. GENITVS OMNIS CREATURAE, hoc est, ante omnem creaturam, atque adeo ab aeterno genitus: Non enim coepit tempus, nisi ex quo coeperunt esse creaturæ. Qui igitur est ante omnia & *per quem condita sunt omnia*, (sicut hæc de Christo mox subiiciuntur, & à Iohanne cap. 1, 3. confirmantur) *ille est in principio*, ut est Ioh. 1, 1. sive *ante tempora seculorum*, hoc est, ab aeterno. Notandum autem quod dicatur *πρωτότοκος*, non *πρωτόκτισ* ☉, atq; adeo genitus non conditus. Sunt qui hæc accipiant de Christo ut homine, quod ut homo omnium creaturarum sit primogenitus, hoc est, dignitate & honore omnes præcellat, sicut in familiis primogeniti solebant: sed prius malo, idq; respondet sequentibus, quibus ratio redditur, quare primogenitus omnis creaturæ dicatur. **NAM PER EVM CREATA SVNT OMNIA, QVAE IN COELIS SVNT ET QVAE IN TERRA**, quæcunque essentiam dependentem & finitam habent per ipsum facta sunt, nec VISIBILIA modo & quæ oculis conspici possunt, sed ET INVISIBILIA, ne quis angelos exemptos somniet, & reliquis rebus creatis annumerandos, Christo ve inferiores esse neget. SIVE THRONI, SIVE DOMINATIONES, SIVE PRINCIPATVS, SIVE POTESTATES. Iuxta communem interpretationem subdividit invisibilia sive angelos, quorum ex hoc & aliis nonnullis Dionysius, qui Arcopagitæ nomen præfert tres constituit Hierarchias, singulis autem hierarchiis tres ordines tribuit. Libro enim quem de hac re scripsit & Arcopagitæ supposuit cap. 6. in hunc modum loquitur: *Omnis quæ de Deo divinisq; rebus differit ratio & scientia. omnes cælestes naturas novem nominibus appellavit.* Deinde in prima Hierarchia collocat *Seraphim*, quorum nomen occurrit

V. 16.

currit Es. vi, 2. & 6. Cherubim Gen. iii, 24. Ezech. x. 10. sæpius
 & *Thronos*, quod vocabulum in eo quidem sensu non nisi
 hoc loco reperitur. In secunda ponit *δυναμεις*, *virtutes*, ut
 reddidit vulgata Rom. viii, 38. Eph. i, 21. *κυειοτητες*, *Domina-*
tiones, hic & Eph. i, 21. *Εξουσιαι*, *Potestates*, hic & Eph. i, 21. & 3,
 10. In tertia *ἀρχαι*, *Principatus*, hic & Rom. viii, 38. Eph. i, 21.
Archangelos I. Thess. iv, 16. & *Angelos*. Gregorius Episco-
 pus Romanus, quem magnum vocant, cujus seculo coepit
 ille, quem diximus, Dionysius cum suis scriptis innotescere,
 itidem ad imitationem Dionysii quem legerat, novem facit
 angelorum ordines, quos tamen alia serie recenset. Verba
 ejus sunt homil. 34. in Evangelia: *Novem sunt ordines ange-*
lorum, quia videlicet esse testante sacro eloquio scimus angelos, ar-
changelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thro-
nos, Cherubim & Seraphim. Subjungit loca scripturæ, in
 quibus ejusmodi appellationes invenire est. Deinde per-
 git philosophari, & diversitatē eorum ac singulorum officia
 explicare conatur. Verum ista omnia minus solida sunt, &
 nullo firmo fundamento innixa. Quod enim præsentem
 locum attinet, nihil necesse est ut dicamus subdividi sola in-
 visibilia aut in-corporea: nam nihil obstat, quo minus sub
 divisionibus istis nonnulla etiam corporea comprehendi
 existimemus. Sane *throni* videntur significare cœlos, *cœ-*
lum enim thronus Dei est Matth. v, 34. *ὁ οὐρανὸς ὁ θρόνος αὐτοῦ*
 Psal. ii, 4. *Cœlum mihi thronus est*, ait ipse Es. lxvi, i. Accedit
 quod Dionysius & Gregorius locis, quæ citavimus, cum
 thronos velint esse angelos, nullam tamen commodam e-
 jus appellationis rationem reddere possint. *Thronorum*,
 ait Dionysius, *summorum & excelsorum nomen declarat id, quod*
ab omni terrena humilitate sine admixtione secretum est, quodq̄
ad superiora divino studio fertur, nec in infimis ullius rebus habi-
tut, sed totis viribus in eo, qui vere summus est, immobiliter firmi-
terq̄ hæret, divinumq̄ adventum sine ulla motione atque materia
recipit,

recipit, ac Deum portat, officiosèq; ad ea quæ divina sunt capiendâ propensum est. Gregorius autem, Throni illa agmina sunt vocata, quibus ad exercenda judicia semper Deus omnipotens præsidet, quia enim thronos latino eloquio sedes dicimus, throni Dei dicti sunt hi, qui tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat, & per eos sua judicia decernat. Ista vero omnia, ut patet, contorta & violenta sunt; Psal. quidem XVIII, II. & 2. Sam. XXII, II. dicitur Deus insidens Cherubinis volare & volitare super alas venti. Hæc, ut ex toto contextu liquet, ἀνθρώπων πνεύμας dicta sunt. Describitur enim Deus pugnaturus in hostes suos, cui pugnanti instar curruum sint nubes, instar equorum venti, instar aurigarum Cherubini, instar jaculorum grando, ignis & fulmina. Quomodo autem angeli absolute dicantur Throni, quibus Deus quasi insideat, non video. Interim nō nego posse esse rationem, ob quam angeli Throni vocentur, etiamsi nos eam nondum satis capiamus aut assequamur. Attamen ut Thronos pro angelis & non aliter accipiamus, non admodum magna forte est necessitas. Porro Rom. VIII, 38. & Eph. I, 21. potestates, virtutes, principatus & dominationes accepimus pro omni eo, quod inter creaturas potens ac eminentis est, quod potentia & imperio, sive virtute aliqua dominandi & imperandi pollet: nam abstracta pro concretis poni manifestum est. Dubium autem est nullum, quin inter ea, quæ in rebus creatis potentia sunt, primum & principem locum teneant in visibilia sive angeli, quos propterea præcipue denotari necesse est, præsertim hoc loco, quo diserte in visibilium mentio fit & subnectitur, quod porro quænam & qualia invisibilia intelligantur, explicet. Citra controversiam boni angeli Eph. III, 10. & mali infra cap. II, 10. ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι dicuntur. Cum boni enim tum mali angeli principes sunt & potentes, atque ideo easdem voces utrisque significandis adhibuit Apostolus. Et hoc etiam loco νευρότητας, ἀρχαὶς & ἐξουσίαις dicens vocabulis utitur, quibus

C.

alias

alias summa & augustissima quæque inter homines denota-
 ri consueverunt, ut doceat, nullam creaturam vel excellen-
 tissimam esse, quæ Christo ut creatori se totam acceptam nõ
 ferat, nedum ut inter minores & imperfectiores aliqua sit,
 quæ ab illo suum esse non accepit, simul ut ex collatione
 præstantissimarum & invisibilium creaturarum quam im-
 mensa & infinita Christi creatoris vis & potentia sit, intelli-
 gatur. Nulla vero iusta fuerit consequentia, si quot voca-
 bulis angelicam naturam insigniri & describi deprehendi-
 mus, totidem distinctos angelorum ordines faciamus. Vna
 enim res diversis verbis designari potest, idque cum primis
 usitatum est, quando res à sensibus sunt remotiores, nempe
 quo magis sunt incognitæ, eo pluribus alias non ignotis vo-
 cabulis, quorum singula suo modo eas aut aliquid earum
 declarare apta sint, accommodatæ ad captum nostrum ex-
 ponuntur, ut nobis innotescant & quantum fieri potest in-
 telligantur. Pergendum nunc tandem in textu: **OMNIA,**
 inquit, **PER EVM,** tanquam primam & principem efficien-
 tem causam, **ET IN EVM,** sive eius respectu, tanquam
 ultimi finis, **CONDITA SVNT.** Qui vero omnium re-
 rum creatarum efficiens & finalis causa est, citra controver-
 siam Deus est, neque enim in quenquam alium, præterquam
 in Deum, cadere potest omnia condidisse, & propter semet-
 ipsum ea condidisse. **ESTQVE IPSE ANTEA OMNIA,**
 quippe autor & conditor omnium, **ET OMNIA PER EVM**
CONSISTVNT, nempe non creatione modo, sed conser-
 vatione quoq; rerum omnium Christo tribuit Apostolus, ut
 dubium nullum sit, quin eum verum Deum Patri *ὁμοιότιον* doceat.
 Nemo enim ante omnia h. e. æternus est, nemo omnia crea-
 vit & omnia sustentat, nisi qui Deus est. **ESTQVE CAPVT**
CORPORIS, Ecclesie videlicet. Nunc etiam ut hominem, sive
 potius ut *θεῖον ἄνθρωπον* describere incipit, Vide dicta Eph. 1, 23.
ESTQVE

v. 17.

v. 18.

EST QVE PRINCIPIVM ET PRIMOGENITVS EX
 MORTVIS, non tantū, quia sua & non aliena virtute in vi-
 tam redijt, sed potius, quia primus ad immortalē vitam &
 nunquam iterum cum morte commutandam resurrexit,
 Cæteri qui ante Christum revixerunt, resuscitati per poten-
 tiam extraneam non deposuerunt mortalitatem, aut morti
 obnoxij esse desierunt, sed omnes rursus mortui sunt. Præ-
 terea vel hoc nomine primogenitus resurgentium voca-
 tur, quia quotquot ad vitam & gloriam resurgunt, per
 ipsum resurgunt. Ita paulo ante dictus est primogenitus
 omnis creaturæ, quia nimirum ita genitus est ab æterno,
 ut per eum postea reliquæ res omnes crearentur. Dicitur
 eodem modo primogenitus ex mortuis, hoc est, resurgen-
 tium, quia per eum fideles omnes ad vitam resurgent. Ni-
 hil autem opus est, ut quemadmodum primogenitus resur-
 gentium ipse resurrexit; sic quoque primogenitus creatu-
 rarum ipse sit conditus. Nam primogenitum esse nihil
 aliud sibi vult, quam ita præcessisse res, sive illas, quorum
 dicitur primogenitus, ut ipsorum sit causa efficiens & con-
 servans, ut per illum sint & consistant. Nunc vero conveni-
 re ei potuit, prout est causa gloriosæ resurrectionis, ut ipse
 resurgeret, quatenus autem causa est creationis rerum o-
 mnium, ita ei convenire non potuit, ut ipse crearetur. Nam
 si absq; eo nihil creari potest, quomodo vel per semetipsum,
 vel absque semetipso crearetur? utrumq; enim ex æquo est
 absurdum, & unum contradictionē involvit, alterum cum
 Scriptura pugnat. Qua itaque ratione dicitur primogeni-
 tus omnis creaturæ, eadem dicitur etiam *principium creature*
Dei Apoc III, 14. Quia nimirum is est, à quo principium
 ducunt, sive à quo tanquam à principio pendent omnes Dei
 creaturæ: ad eundem fere modum dicitur *primogenitus in-*
ter multos fratres Rom, VIII, 29. quia ad ipsius exemplum &
 C 2 ipsius



ipsius virtute reliqui fratres cum in passionibus, tum in gloria conformantur. **VT IN OMNIBVS PRIMAS TENEAT**, tam quod attinet ordinem gratiæ & regenerationis hominum, quam quod attinet ordinem naturæ & generationis rerum. Vt enim omnia per illum condita sunt, quæcunque sunt condita; ita etiam per illum restituta sunt, quæcunque sunt restituta. **QVONIAM COMPLACVIT, PATRI** videlicet, **IN ILLO, OMNEM PLENITVDINEM INHABITARE**, hoc est, omnem perfectionem, omnem excellentiam & eminentiam, ut inter omnes primas teneat. Loquitur autem de Christo ut homine. Nam alias ut Deus est, ita ei Pater suam ipsius essentiã & divinitatem ab æterno communicavit, ut non potuerit non communicare. Natura igitur & necessitate, non voluntate (nempe si voluntarium sive liberũ dicas, quod potest fieri & non fieri) filium generavit & generando omnem divinitatis plenitudinem communicavit. At hic, sicut diximus, de Christo ut Θεωφάνω loquitur, & declarat per plenitudinem superiora, nempe quod sit caput Ecclesiæ & primogenitus ex mortuis. **ET PACE PER SANGVINEM CRVCIS EIVS** tanquam per pretiũ redemptionis **FACTA**, per eum, sublatis inimicitijs, quæ per peccatum inuestiæ fuerant, reconciliare omnia sibi, ut jam non amplius iudex sit vel vindex, sed clementissimus pater, per eum, inquam, & non per angelos aliosve mediatores, *Unus enim est mediator* I. Timoth. II, 5. **TVM QVAE IN TERRA**, hoc est, fideles adhuc in terris agentes, **TVM QVAE IN COELIS**, hoc est, jam pridem vita functos, & ad cœlestis gloriæ consortium admissos, vide dicta Eph. I, 10. **ITAQVE VOS ETIAM** (nunc generalem doctrinam Colossensibus applicare incipit) **CVM ESSETIS QVONDAM ABALIENATI**, à *Republ.* videlicet *Israelis*, ut est Eph. II, 12, **ET HOSTES**, (declarat enim; post quantas & quales inimi-

v. 19.

v. 20.

v. 21.

inimi-

inimicitias pax facta sit) MENTE IN OPERIBVS MALIS
 DEMERSA, *conversati scilicet in cupiditatibus carnis vestrae*
 ut est Eph. II, 3. NVNC SANE RECONCILIAVIT. IN
 CORPORE ILLO CARNIS SVAE, hoc est, carneo &
 humano, quod vere est corpus, idem specie cum nostris cor-
 poribus, quod carnem, ossa & nervos habet. PER MOR-
 TEM, VT SISTAT VOS SANCTOS ET INCVLPA-
 TOS ET IRREPREHENSOS IN CONSPECTV SVO,
 nempe vult, ut postquam reconciliati estis, innocentiae & ju-
 stitiae studeatis, (nam *qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc*
vivemus in eo Rom. VI, 2.) sanctique & iusti coram ipso com-
 pareatis, inchoate quidem in hac vita, complete vero in al-
 tera. Ad eundem modum Eph, v, 25: *Christus semetipsam*
exposuit pro Ecclesia, ut sifteret eam sibi gloriosam sine macula &
ruga sanctam & inculpata, idque certo fiet, sifter vos ali-
 quando in conspectu suo sanctos & gloriosos: SI QUIDEM
 PERMANETIS IN FIDE FVN DATI ET STABILES, sub
 hac tamen conditione, si, quemadmodum coepistis, in Chri-
 stum credere, ita in eadem fide fideique fundamento persi-
 stitis, NEC DIMOVEMINI A SPE EVANGELII, ab illa
 videlicet spe rebusque speratis, quas Evangelium proponit
 & promittit, à quibus dimovetur & excidit, quicumque in
 fide fundatus & stabilis non manet. Manifestum testimo-
 nium, quod fides amitti & excuti possit. EVANGELII,
 inquam, PRAEDICATI OMNI CREATURAE, QVAE
 SVB COELO EST, hoc est, omni homini. Ita & Marc. XVI,
 15: *Predicate Evangelium omni creaturae*: ut Gen. III, 20. *Eva*
mater omnium viventium, hoc est, hominum. Nam per
ἀνονομασία creaturae nomen nobilissimae speciei tribuitur.
 Sicut autem supra ad v, 6. indicavimus, praedicatum est Evan-
 gelium omni homini, quoniam praedicatum est in celebra-
 rimis locis orbis habitati, & in urbibus primarijs provincia-

V. 22.

V. 23.



V.24.

rum, atq; ita omnibus hominibus ob oculos positum, ut in
 eius notitiam singuli nullo negotio venire potuerint. Que-
 madmodum, si regio aliqua careat igne, is dicitur omnibus
 regionis eius incolis ignem obtulisse & suppeditasse, qui in
 monte excelso ignem exstruxerit, unde ab omnibus conspi-
 ci, & unde ab omnibus peti potuerit, etiamsi in singulorum
 domus ignem ille non intulerit. **CVIVS** Evangelij **FA-**
CTVS SVM ego Paulus **MINISTER**, **QVI NVNC**
GAVDEO (*in eo quod consortes estis afflictionum Christi, gau-*
dete ait Petrus I. Epist. cap. IV, 13.) **DE IIS QVAE PA-**
TIOR PRO VOBIS, ET DEFECTVS AFFLICTIONVM
CHRISTI EXPLEO. Quid vero deest afflictionibus Chri-
 sti? nempe Christus, prout in se consideratur, perpeffus est
 pro redimendo & expiando satisfactionibus suis universo
 humano genere, nec eo modo quicquam afflictionibus
 Christi deest, sed consummatissimæ & absolutissimæ sunt,
 ita ut pluribus etiam mundis, si plures essent, redimendis &
 expiandis sufficere possent. Vt autem Christus cum Ec-
 clesia sua & cum membris suis unum constituit corpus; ita
 tribuitur Christo sive in Christum refertur, quicquid pro
 eo illius membra patiuntur. Vide dicta Phil. I, 10. Sic
 noster Apostolus cum Saulus adhuc esset & Ecclesiam per-
 sequeretur, audit tamen ab ipso Christo: *Saule, Saule, quid*
me persequeris? Actor. IX, 4. Recte enim Chrysostomus
 serm. in dict. Apostoli ex I. Corinth. XV, 25. qui extat tomo
 3. Basiliensi pag. 985. *Ubi Paulum furibundum vidit adver-*
sus Ecclesiam, & adversus sanctos furoris sui venenam effundere,
inquit ad eum is, qui passionibus ultra non erat obnoxius, sed in
tam admirabili honore dignaque gloria versabatur: Saule, Saule,
quare me persequeris. Vides quod persecutio Ecclesie Christo ad-
scribitur, qui Ecclesia caput est. Et paulo post: Paulus igitur
ille à Christo edoctus, quod persecutio Ecclesie in Christum verge-
ret,

ret, cognovit, & consentaneum esse quod quicquid patitur Ecclesia, in Christum quodammodo referatur. Quare & ipse Regis sui verborum vestigia sequens in una Epistolarum dicit: impleo qua defuerunt afflictionibus Christi. Atque hoc modo, nempe Christus cum membris suis unum est, defunt passionibus Christi, quæcunque pro Christo fideles usque ad extremum diem passuri sunt. Inde dicit Apostolus, defectus passionum Christi ἀντὶ ἀπληρώ̄ vicissim, sive reddita vice expleo, quasi dicat: Si Christus pro me redimendo passus est, æquum est, me vicissim pro ipsius gloria illustranda & Evangelio divulgando pati. In carne mea sive in corpore meo, quod ejusmodi plagis adhuc subiectum est, talia patior. PRO CORPORE IPSIVS QVOD EST ECCLESIA, pro vobis scilicet, ut paulo ante dixit, & pro Ecclesia, non quidem redimenda vel expianda, sed docenda, instruenda, confirmanda. Nam ut furor est diaboli, & malitia hominum, non potest Evangelium prædicari, nisi, qui prædicat, ejusmodi afflictionibus exerceatur. Evangelium autem ideo prædicatur, ut Ecclesia augeat & homines ferventur. Inde dicit, se pati pro Ecclesia, & 2. Timoth. II, 10. *Omnia tolero propter electos, ut & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu cum gloria aeterna.* 2. Cor. I, 6. *Si affligimur, pro vestra consolatione ac salute affligimur.* cap. XII, 15. *Libentissime expendar pro animabus vestris.* Hæc plana & expedita est interpretatio, nec quisquam veterum aliter accepit, aut de electis redimendis, vel de Ecclesia à pœnis post remissam culpam residuis expianda interpretatus est; imo ne quidem mediæ ætatis Scriptoribus id in mentem venit. Ita enim Hervæus, qui putatur esse Anselmus: *Gaudeo in passionibus pro vobis confirmandis in Evangelij veritate.* Item: *Quisquis es in membris Christi, quicquid pateris ab iis qui non sunt in membris Christi, deerat passionibus Christi.*

Item:

11. 2. pp. Post.



Item: In carne Christi, quam virgo peperit, nihil passionum deest, sed omnes in illa passiones sunt impletæ, sed adhuc restat pars passionum eius in mea carne, quas quotidie tolero, pro universali corpore eius, quod est Ecclesia. Si enim ab institutione fidelium cessarem, has passiones ab infidelibus non sustinerem, sed quia semper Ecclesie studeo prodesse, semper adversa cogor tolerare, D. Thomas: Hoc decrat, quod sicut Christus passus erat in corpore suo, ita pateretur in Paulo membro suo, & similiter in aliis, & hoc pro corpore, quod est Ecclesia, qua erat redimenda per Christum. Sic etiam omnes sancti patiuntur propter Ecclesiam, qua ex eorum exemplo roboratur. Lyranus: Passiones Christi dupliciter dicuntur, uno modo in corpore proprio, in quo sustinuit famem & sitim & mortem, & sic accipiendo nihil erat ibi adimplendum; alio modo, prout patitur in membris suis, qua sunt fideles, secundum quod dicitur Act. ix. Saule Saule, quid me persequeris? Et sic loquitur Apostolus. Glossa interlinearis: Gaudeo in passionibus, quas sustineo pro vobis confirmandis in veritate Evangelij, & adimpleo ea, qua desunt passionum Christi. Nostra passiones Christi sunt, quia eius membra, pro corpore eius multiplicando videlicet. Ita igitur infimæ quoque ætatis interpretes Paulum pro Ecclesia pati non aliter interpretantur, quam quod patiatur pro Ecclesia docenda, confirmanda & multiplicanda. Pontificij tradunt, Paulum & alios sanctos ita quoque pati, ut cum afflictiones, quas tolerant, simul meritoria & satisfactoria sint; quatenus meritoria sunt, ipsis ad consequendam salutem proficiant. Quatenus autem satisfactoria non applicentur ipsis, quippe puris & satisfactione pro peccatis, quæ nulla habeant, non indigentibus, sed additæ satisfactionibus Christi reponantur in thesaurum, unde porro Pontifex & Episcopi fidelibus pœnitentibus, per indulgentias, quantum videatur, applicent ad tollendum reatum pœnæ temporalis, quæ post remissam in foro pœnitentiario culpam & æternam pœnam luenda restat, & pro qua expianda opera pœnalia in eodem foro

foro iniungi solent. *Indulgentia* enim, definitore Gregorio de Valentia libro quē de hac re scripsit cap. 1, est relaxatio pœ-næ temporalis iudicio divino peccatis æturalibus post remissam culpam debita, per applicationem super abundantiam Christi & sanctorum satisfactionum facta extra Sacramentum ab eo, qui legitimam ad hoc auctoritatem habet. Secundum Bellarminum libro de eadem re primo, c. VIII. *Indulgentia* est absolutio judicialis à reatu pœnæ Deo debita in foro pœnitentiario extra Sacramentum, data per applicationem satisfactionum, quæ in thesauro Ecclesiæ continentur. Quin ex hoc ipso thesauro Pontifex luentibus in purgatorio applicat, quod pro pœnis porrò ibi luendis valeat, easque tollat, ut diutius in hospitio illo in amœno commorari necesse non habeant. Non tamen applicat per modum absolutionis judicialis, quoniam qui in purgatorio sunt, sub eius potestate amplius non sunt, sed per modum suffragii. Frustra autem præsentem Apostoli locum adducunt, ut probent, sanctorum passionibus facere ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus aliorum, quamvis ut illustrem pro ea opinione commendat Gregorius de Valentia. Habet enim alias interpretationes commodissimas, quibus sufficienter & dilucide exponitur, ut nihil opus sit eiusmodi novas, nullisque aliis Scripturæ testimoniis subnixas & antiquis interpretibus incognitas fingere. Non potuit id ipsum diffiteri Bellarminus, scribit enim libro de intelligentiis primo, c. III: *Quamvis enim possint hæc verba ita exponi, ut significent Apostolum passum esse multa propter electos & propter Ecclesiam, quia non potuit Evangelium prædicare, nisi se multum periculis exponeret & multos labores subiret. & rursus passum esse propter electos & propter Ecclesiam, ut exemplo suo infirmos confirmaret, & ad brabeion supernæ vocationis accenderet, tamen negari non potest, quin possint & rectè exponi de communicatione satisfactionum, imò negari potest & debet maxime. Sanè si ex aliis locis ea opinio probata esset aut probari posset, tum nihil obstaret*

D

quin

quin acciperetur isto etiam modo, nempe passum esse Paulum pro corpore Ecclesiae, ut paulo post scribit ipse Bellarminus, sive instruendo praedicationibus, sive confirmando exemplis, sive expiando satisfactionibus. Quia vero de tali communione passionum ad expiandas, quas saepe diximus, poenas, nihil ex alijs locis constat, & nusquam in scripturis ea docetur, sane ex hoc ipso, qui habet interpretationes commodiores, è quibus satis intelligitur, probari & evinci nequit. Augustino autem injuriam facit, dum ejus tractatum in Ps. LXL. pro ea sententia adducit: De expiationibus enim & satisfactionibus ibi non loquitur, sed ex hoc Apostoli dicto simpliciter docet, patiendum esse singulis Christi membris, nec passionum fore finem, nisi cum seculum finitum fuerit. Verba autem Augustini in suos commentarios transcripsit, qui supra citabatur, Hervæus. His ita expositis pergamus in

v. 25. textu: PATIOR, inquit, PRO ECCLESIA, CVIVS FACTVS SVM MINISTER EX DISPENSATIONE DEI, QVAE DATA EST MIHI ERGA VOS, habens videlicet vocationis meae autorem Deum, qui officium praedicationi ita dispensavit, ut mihi obtigerit provincia vobis gentibus Evangelium annunciandi. Confer Eph. III, 2. AD IMPLENDVM SERMONEM DEI, ut vaticinia & promissiones de gentibus in Ecclesiam adsciscendis, Christo que afferendis ad effectum perducantur & impleantur. Ad implendum, inquam, MYSTERIVM illud de vocatione gentium, QVOD ABSCONDITVM FVIT A SECVLIS ET AETATIBVS,

v. 26. vide Rom. XVI, 25. Eph. III, 5. NVNC AVTEM MANIFESTVM FACTVM EST SANCTIS EIVS, QVIBVS VOLVIT DEVS NOTVM FACERE, QVAE SINT ILLAE DIVITIAE GLORIOSAE HVIVS MYSTERII INTER GENTES, hoc est, quam sint ampli & uberes fructus Evangelij inter gentes praedicati. Cum enim ex Iudaeis paucissimi

v. 27.

mi convertantur, contra e gentibus plurimi fideles fiunt, & augustissimorum bonorum, quæ Evangelium offert, participes. Vocat itaque gloriosum *mysterium*, cum quod ad gloriam deduceret, tum quod cum gloria, singulari videlicet efficacia plurimisque miraculis, divulgaretur. *Divitias* autem dicit propter felicissimum profectum & multitudinem credentium ex gentibus, **QVI EST CHRISTVS INTER VOS**, quod videlicet *mysterium* est Christus inter vos prædicatus & à vobis agnitus, Relativum congruit cum sequente & non præcedente nomine, uti etiam Eph. III, 13. Phil. I, 28. Sane Hebræis familiare est, ut inter duo nomina positum, alterutri promiscue respondeat, nempe *mysterium*, de quo loquor hoc est, quod Christus SPES illa GLORIAE, objectum videlicet gloriosæ spei, vel is, cujus beneficio gloriam consequi speramus, inter vos gentes prædicatur, & à vobis autor salutis gloriæque agnoscitur. Nam sine dubio *magnum est pietatis mysterium, quod Deus conspicuus factus sit in carne, quod prædicatus gentibus, quod fides illi habita in mundo* I, Tim. III, 16. **QVEM NOS ANNUNCIAMVS, ADMONENTES non Iudæos tantum, sed OMNEM HOMINEM, ET ERVDIENTES OMNEM HOMINEM OMNI SAPIENTIA**, hoc est, nihil quicquam prætermittentes, quod ad Evangelicam sapientiam pertineat, **VT OMNEM HOMINEM SISTAMVS PERFECTVM IN CHRISTO IESV**, nempe, ut quilibet evadat *in virum adultum ad mensuram plenæ stature Christi*, sicut est Eph. IV, 13. Ter autem OMNES ingeminat, ut discrimen populorum sublatum esse doceat. **AD QVOD præstandum ETIAM omni ope ENITOR, DECERTANS & cum plurimis adversitatibus & periculis colluctans, SECVNDVM EFFICACIAM IPSIVS AGENTEM IN ME POTENTER**,

v. 28.

v. 29

D 2

quin



quin par non essem, succumbam, ipso indente vim & virtutem sermonibus meis, ut corda & animos penetrent, ipsoque denique vires ad omnia & in omnibus mihi suggerente.

SECUNDVM CAPVT.

V. 1. **R**opius accedens ad ea, de quibus commemoraturus erat Colossenses, praefatur breviter de sua erga ipsos sollicitudine, & demonstrans, quanto teneatur studio & desiderio illos iuvandi, animos sibi conciliat, & ad attentionem praeparat. Dixerat autem supra, se *ἀγωνίζεσθαι* sive certamen magnum obire, dum Christum omnibus passim gentibus annunciet. Hujus agonis haud exiguam partem esse ostendit curam ac sollicitudinem, quam pro Colossensibus & Laodicenis aliisque, quos praesens non viderit & erudierit, sustineat. **V. 2.** **VT, inquit, CONSOLATIONEM ACCIPIANT EORVM CORDA**, quasi dicat: ipse, tanquam in agone, anxius sum, & variis curis exerceor, eo fine, ut sint illorum corda sine anxietate & cura, quia enim metuo ne à falsis doctoribus circumventi, in pericula & schismata conijciantur, omni conatu id ago, ut contentionibus & periculis procul remotis exhilarentur potius, quam turbentur, **IPSIS CHARITATE mutua COMPACTIS & conglutinatis, & IN OMNI OPVLENTIA FIRMITER PERSVASAE INTELLIGENTIAE.** Nam *πληροφροσυνα τῆς συνήσεως* est scientia cum certissimo & confirmatissimo assensu, qui omnem omnino dubitationem procul arceat. Firmiter autem consentire in veritate coelesti, vinculum est sanctae concordiae. **V. 3.** **AD COGNITIONEM MYSTERII DEI AC PATRIS ET CHRISTI**, mysterij videlicet ejus in quo nobis Deus se revelavit, quod sit natura Pater Christi, & ex gratia propter Christum pater etiam noster. **IN QVOSVNT OMNES THESAVRI SAPIENTIAE ET SCIENTIAE ABSCONDITI.** Potest referri ad totum quod praecedit, in quo

quo

quo mysterio videlicet evangelico repositum est, quicquid sapientiæ & scientiæ hominibus ad salutem necessarium, ut præter hoc ipsum nullas alias revelationes aut doctrinas quærere opus sit, qui novit Evangelium, & hoc, quod dixi, mysterium, novit omnia. Absconditos autem dicit thesauros, quoniam infidelibus & Evangelium nescientibus aut aspènantibus nihil horum innotuit, vel innotescere potest. Sed potest etiam ad proximum referri, in quo, Christo videlicet, atque ita interpretatus est Chrysostronus: *In quo sunt, inquit, omnes thesauri, ipse novit omnia, absconditi enim ne putetis vos totum jam habere: absconditi sunt ab angelis quoque, non solum à vobis: proinde omnia ab ipso petere oportet. Ipse dat sapientiam ac scientiam. Quod thesauros quidem dicit, copiam & multitudinem; quod vero addit omnes, nihil ab eo ignorari; quod autem subjungit absconditi, ipsum solum omnia scire declarat.* Haftenus ille. Etiam si vero de Christo accipimus, videtur tamen accipiendum esse de Christo ut à nobis ad salutem cognito, & id exigunt etiam quæ sequuntur. **HOC AUTEM DICO, ait, NE QVIS VOS PER FALSAS RATIOCINATIONES DECIPIAT,** nēpe assero in Evangelio, & in Christo per Evangelium cognito contineri, quicquid cognitionis salutiferæ homini obtingere potest, & hoc ideo dico, ne quis vos alio abducat, & novas doctrinas, nihilq; ad Christum facientes commentus, ad eas amplectendas vos inducat. *ἐν πηρολογίᾳ* h. e. sermone comparato ad persuadendum, & conciliandum per argutias rebus alias falsis probabilitatem, qualem Apostolus à se adhibitum fuisse negat I. Corinth. II, 4. **ETSI ENIM CORPORE ABSVM, SPIRITV TAMEN animoq;** de vobis sollicito, ad quæ res vestras magna cum cura attento **VOBISCVM SVM** (eadem locutio I. Corinth. V, 8.) **GAVDENS ET CERNENS,** hoc est, gaudens, quia cerno & cognosco laudabilem **VESTRVM ORDINEM,** mores videlicet rite compositos & bonā disciplinam, **ET SOLIDITA-**

v. 4.

v. 5.

D 3

TEM

v.6.

TEM siue constantiã, quæ hætenus technis aduersariorum labefactari nõ potuit, VESTRAE IN CHRISTVM FIDEI. SICVT IGITVR ab Epaphra & Archippo ACCEPISTIS & didicistis CHRISTVM IESVM DOMINVM, nempe quod solus sit mediator & redemptor noster, quod eius merito per fidem sine proprio merito & legis operibus iustificemur & saluemur; ITA IN EO, hoc est, in eius fide & doctrina AMBVLATE. Ipse enim enim *via, veritas & vita est* Ioh.

v.7.

xiv, 6. Nec finite vos ad devia rituum Iudaicorum aut angelolatrias abduci. RADICATI (sicut enim arbor, quæ altas radices egit, facile sustinet procellarum impetus; Ita qui in Christo radicans, nõ circumagitur quovis doctrinæ vento) ET SVPERSTRVCTI IN EO (qui enim Christo fundamento nititur, eius quoad religionem firmum est ædificiũ, quicquid alijs fulturis suspenditur, corruet) AC CONFIRMATI FIDE, SICVT EDOCTI ESTIS, quod scilicet Christus sit mediator & redemptor noster, nempe proprio sermone nunc effert, quod prius metaphoris significatum ibat. Ita ambulare, radicari, superstrui in Christo, nihil aliud est quam confirmari in fide, qua credimus redemptorem & mediatorem nostrum esse Christum, atq; ita per fidem in Christo, tanquam in via, ad Patrem ambulamus, tanquam in radice hæremus & fructum ferimus, tanquam in fundamento ædificamur. EXVBERANTES, hoc est, augescentes & crescentes IN EA CVM GRATIARVM ACTIONE, Deo videlicet, cuius donum est fides, pro tantis beneficijs & facta salutis copia gratias agentes. VIDE TE, id est cavete, NE QVIS SIT, QVI VOS DEPRAEDETVR. siue de vobis victis & oppressis (verbũ enim militare est) prædas agat, PER PHILOSOPHIAM ET INANEM SEDVCTIONEM, per eiusmodi videlicet philosophiam, quæ sit inanis seductio: hoc enim ipso declarat, qualem philosophiam, & qualem philosophiæ

sophiæ usum intelligat. Potest igitur rectè accipi de doctrinis quæ Philosophiam mentiuntur, & philosophiæ titulo se se venditant. Quin imo à Philosophis traditæ & profectæ sunt, etiam si nihil minus sint quàm Philosophicæ, sive è principijs veris & naturaliter notis per bonam consequentiam deductæ. Nam quicquid vel principium est natura notum, vel ex ejusmodi principio legitime deducitur, id solum nobis & in proprio sensu philosophicum est, sive ad philosophiam pertinet; Cum Clemente enim Alexandrino 1. Stromat. Philosophiam non dicimus Stoicam, nec Platoniam, aut Epicuræam, vel Aristotelicam, sed quæcunque ab his scriptis rectè dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum dicimus Philosophiam. Interim extra controversiam est, multos ineptos homines sub titulo & pallio philosophico sæpe delituisse, & etiamnum delitescere posse. Quin hoc etiam negari nequit, multos, qui jure meritoque Philosophi audiverunt, imo ipsos principes Philosophorum, Platonem & Aristotelem nonnunquam aberrasse, & in veritatis inquisitione hallucinatos esse. In quibus autem aberraverunt, licet Philosophi essent, ut Philosophi tamen se minime gesserunt, nec illi eorum errores ad Philosophiam magis pertinent aut referri debent, quàm ad Theologiam Theologorum errores. Ex erroribus autem errores sequi, & per errores à Philosophis vel spurij, vel germanis sed hallucinantibus exortos decipi posse, qui animum non animadverterit, verum est & minime mirum. Hinc igitur, nempe ad fucatos Philosophos, vel ad celebrium aliàs Philosophorum errores, respiciens Tertullianus lib: adversus Hermogenem *patriarchas hereticorum philosophos* dixit, & de præscriptionibus cap. 7: *Ipsæ, ait, hereses à Philosophia subornantur, unde Æones & formæ, nescio quæ, & Trinitas hominis apud Palatinum: Platonius fuerat, Inde Marcionis Deus melior*
de

de tranquillitate: à Stoicis venerat. Et ut anima interire dica-
 catur, Epicurus observatur. Irenæus autem lib. 2. cap. 19. ad-
 huc clarius docet, hæreticos Philosophorum errata conge-
 rere & ex ijs sua dogmata conflare: Quæ, ait, apud omnes qui
 Deum ignorant & qui dicuntur Philisophi, sunt dicta, hæc congre-
 gant, & quasi centonem ex multis & pessimis panniculis consarci-
 entes superficiem subtili eloquio sibi ipsi preparaverunt. Tales qui-
 dem Milesius uniuersorum generationem & initium aquam dixit,
 idem autem est dicere, aquam & Bythum. Homerus Poeta Ocea-
 num Deorum genesin & matrem Thetin dogmatizavit, quæ qui-
 dem hi in Bythum & Sygen transtulerunt. Inferius, Hoc quod ex
 subjecta materia dicunt fabricatorem fecisse mundum, & Ana-
 xagoras, & Empedocles, & Plato primi ante hos dixerunt, mox à
 Stoicis necessitatem accepisse testatur, ut doceant, Deum necessita-
 te teneri. Item: Quod Salvatorem ex omnibus factum esse æoni-
 bus dicunt, omnibus in eum deponentibus, velut florem suum non
 extra Hesiodi Pandoram novum aliquid afferunt. Quæ enim,
 ille ait, de illa hæchi de Salvatore insinuat Pandoram, intro-
 ducentes eum quasi unusque Æonum quod haberet optimum dona-
 verit ei. Plura vide apud Autorem. Ista videlicet licet sane
 à Philosophis tradita, Philosophiæ tamen nomen mentian-
 tur, & cum erronea omnia sint, in errorem porro inducere
 possunt, ut ab ijs quisque sibi merito caveat. Quod igitur
 hoc apostoli dictum attinet, vel intelligit quicquid Philoso-
 phiæ nomine vulgo venditari solet, aut è Philosophorum
 libris depromptum est. (Nam, ut diximus, quod forte unus &
 alter Philosophiam appellitant, quod iste vel alius docue-
 runt, sæpe erroribus scatet, quos tamen, qui recte sentiunt
 & legitime ex principijs natura notis colligunt, animadver-
 terunt & redarguerunt. Interim autoribus & sectatoribus
 suis placere solent, & Philosophiæ titulo imperitioribus ob-
 trudi. Ab ejusmodi autem Philosophia, quæ revera inanis
 seductio est, unumquemque sibi cavere oportet.) Vel intel-
 ligit

ligit Apostolus genuinam & sinceram Philosophiam, per quam ut talem, nempe ut vera Philosophia est & in vero suo usu constituta, nemo utique seducitur. Potest autem rerum optimarum quarumvis abusus esse, & per hunc homines decipi consueverunt. Per illegitimam, inquam, applicationem sive accommodationem ejus quod rectum & verum aliàs est. Sit principium Philosophicum, sit conclusio ex ejusmodi principio legitime deducta, fuerit autem qui neutrum capiat aut intelligat, vel qui utrumque alio transferat, quo transferri non debebat. Hic maximus profecto abusus, per quem incautos & rudes seduci contingit. Qui igitur seduci & in errores abduci nolit, caveat sibi. Interea nihil vel veritati, vel utilitati, vel dignitati genuinæ Philosophiæ deturitur. Illa rectè intellecta & rectè applicata sive ad unum translata nec pugnat, nec pugnare potest cum veritate revelata: Sed ei potius accuratè explicandæ & contra adversarios tuendæ ancillatur, ut alibi docuimus. Qui vero axiomata Philosophica non capit, sive eis falsum sensum tribuit, & demonstraturus Philosophiam cum pietate pugnare, in illo quem sibi imaginatus est sensu axiomata philosophica producit. Is hoc ipso non quidem Philosophiam, sed suas opiniones & præconceptos errores cum pietate pugnare demonstrat. Qui vero, quis sensus sit, intelligit, & alio tamen transfert sive male accommodat, tanto magis peccat, & in ipsam quoque Philosophiam ejusque leges injurius est. Ad eundem autem modum sanctissimæ Scripturæ etiam abusus esse potest, & sanè est maximus, per quem de miseris & incautis hominibus prædæ aguntur immanissimæ. Alius enim Scripturam non capit, alius ex Scriptura malè colligit, & nemo hæreticorum fuit unquam, qui non Scripturam suis opinionibus prætexeret, & per eam miser-

E
ros mor-

ros mortales seduceret. Eodem igitur jure & eadem ratione qua dixit Apostolus: *Cavete ne quis vos per Philosophiam deprædetur*, dicere etiam potuisset: *Cavete ne quis vos per Scripturam deprædetur*, per Scripturam videlicet vel supposititiam, quæ nonnullorum suffragijs scriptura audit, sed scriptura tamen non est, ut Evangelia Thomæ, Barnabæ, Bartholomæi; vel genuinam, verum male intellectam, vel male applicatam. Et sicut ejusmodi monito scripturæ nihil omnino derogaretur aut decederet; ita nec illo altero Philosophiæ quicquam detrahitur. Quin si rem perpendimus, hoc ipso capite monet Apostolus, si non totidem verbis, eodem tamen sensu, *videte* ne quis vos per scripturam & per Mosen seducat, *ne quis*, inquit, *vos damnet ob cibum vel potum, aut respectu festi vel novilunij vel Sabbathorum, quæ sunt umbra rerum futurarum*. Hæc autem omnia in scripturis & per Mosen mandata sunt, at perversi doctores, quos cavere jubet Apostolus, non intelligebant mandata neutiquam fuisse, ut essent perpetua & usque ad finem seculorum observarentur, sed tantum *usque ad præstitutum tempus directionis imposita*. Hebr. ix, 10. Cum itaque Mosen & Scripturam non intelligerent, aut intelligere nollent, male quoque accommodabant, & observationem ceremoniarum ad tempus post ascensionem Christi, gentesq; ad Christum conversas extendebant. Per Mosen igitur & per Scripturam, imo per legem Dei sed male intellectam & male applicatam mortales seducebant. Et monet Colossenses Apostolus, ne ad eundem modum eove prætextu se patiantur seduci. Vt, inquam, hoc monitum non carpit aut accusat ipsum Mosen, vel Scripturam vel legem Dei; sic quoque alterum illud non reprehendit aut damnat ipsam germanam Philosophiam. Ne cavere jubet Apostolus vel Mosen vel Philosophiam, sed homines perversos, abutentes Mose & Philosophia, adeoque Mo-

sis &

sis & Philosophiæ abufum. Si dicā, vide ne te decipiat vinum,
 nec vinū damno, nec ufum ejus accufo, fed de vitando abu-
 fu moneo. Paulus ad Timotheum Epiftola I. cap. v, 23 *paucu-
 lo vino utere propter ftomachum tuum.* Ad Eph. v, 18. *Ne ine-
 briamini vino.* Diffimulare autem non debeo Iofephum
 Scaligerum elencho trihærefij cap. xxvii, hunc Apoftoli lo-
 cum & quæ funt sub finem hujus capituli ad Effenos five ad a-
 liquam eorum traducem referre. Sane fectas Iudæorum
 Iofephus Philofophias vocat lib. de bello cap. 7. Et Eufebius
 lib. 8. de præparatione Evangelica locutus de ftudijs Iudæo-
 rum, Philofophiam & philofophantes dicit, quemadmodū
 eodem etiam philofophiæ titulo Effenorum ftudia infignit
 Philo de vita contemplativa. Præterea Iofephus loco jam
 allegato docet, ab iis, qui in confortio Effenorum adfciscan-
 tur jus jurandum exigī, quod velint fimul confervatum ire
 τὰτε τῆς αἰρέσεως αὐτῶν βιβλία, καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα,
 quæ vero, & quorum angelorum hæc fuerint, nomina, alibi
 me legere non memini. Epiphanius in hærefi Effenorum,
 quæ etiam ipfa ex fententia Scaligeri Effenorum tradux
 fuit, meminit cujusdam Genai, qui temporibus Trajani ex
 Iudæis oriundus juramentum constituit fieri, per cœlum & a-
 quam, & fpiritus & sanctos angelos, & oleum & fal & ter-
 ram. Porro Philo libro fuperius citato de victu Effenorum:
In cibatu, ait, utuntur pane simplici, falvicem fupplet obfonij,
qui delicatioribus funt, hyffopum pro condimento adijciunt, po-
tum è fluentis hauriunt, contenti placare dominas à natura
mortalibus abditas, famem fitimq; absque omnibus lenocinijs
fruendo rebus sine quibus non licet vivere. Edunt igitur ne e-
suriant, bibunt ne fitiant, faturitatem cavendo ut inimicam axi-
mo pariter & corpori. Et inferius: Mens pura est à cruentis da-
pibus, pro cibo panis apponitur, fal pro obfonio, & pro condimento
hyffopus in delicatorum gratiam. Operantur enim ut Sacerdotes
sacris abstemijs, tota victus ratione caftigata ad eandem frugalita-



tem. Nam vinum habent pro veneno afferente dementiam. Opiparis autem obsoniis ajunt irritari concupiscentiam, beluam insaturabilem. Hæc profecto valde conveniunt cum ijs, de quibus hoc capite tractat Apostolus. Habent enim ut ipse loquitur, rationem sapientiæ in cultu voluntario & submissione animi & in eo quod corpori nõ parcant. Haud igitur improbabile, Philosophiam cujus hîc Apostolus mentionem facit, Philosophiam Græcorum non esse, sed Hebræorum & quidē Essenorum, quæ cum Græcorum & nostra parum aut nihil commune habuit. Præterea & hoc probabile efficitur, fuisse quos hîc cavere jubet Apostolus, propaginem quandam Essenorum, qui Christum quidem agnoscerent & profiterentur, sed ita, ut pristinas superstitiones mordicus retinerēt, & forte cum auctario haud modico alijs ad Christum conversis obtruderent. Quod itaque de Nazarenis scribit Hieronymus Epistolâ ad August: quæ incipit: *Tres simul Epistolas, hoc quoque de illis dici sine dubio potuit: Credunt in Christum filium Dei natum de virgine Maria, & eum dicunt esse qui sub Pontio Pilato passus & resurrexit, in quem nos credimus, sed dum volunt & Judæi esse & Christiani, nec Judæi sunt nec Christiani.* Ista scite Hieronymus. Quicquid autem sit, (neque enim exacte & indubitato de his erroribus & sectis definire possumus, quod & ipsæ jamdudum exspiraverint, & certam notitiã nobis eripuerit longa temporum series) quicquid, inquam, sit, quemadmodum omne quod cognoscitur, vel sub lumine rationis, vel sub lumine peculiaris revelationis cognoscitur & scitur; ita quoq; quandoque erratur, vel prætextu rationis, vel prætextu revelationis, sive per abusum rationis vel per abusum revelationis erratur. De utroque errorum capite hoc loco agit Apostolus, & cavere monet quoscunque deceptores, sive decipiant per Philosophiam male intellectam & applicatam, sive per Scriptur-

Scriptur-

Scripturam. Huc enim pertinent quæ sequuntur: **SECUN-
DVM TRADITIONEM HOMINVM**, secundum ea vide-
licet, quæ homines suo apte ingenio commenti acutè sibi
invenisse videntur. **SECUNDVM ELEMENTA MVNDI**,
h. e. secundum ea, quæ Moses docuit, ut ijs tanquã elementis
sive rudimentis quibusdam pro istorum temporum ratione
mundus ad pietatem & Dei cultum institueretur. Vide quæ
diximus Gal. iv, 3. **ET NON SECUNDVM CHRISTVM**,
hoc est, ut doceat Christum umbras & figuras complevisse,
suaq; morte omnia consummâsse & nos redemisse. Oppo-
nit videlicet Christum cum ad inventionibus humanis, tum
elementis Mosaicis, quippe cum doctrina Novi Testamenti,
fide in Christum, & cum doctrina de satisfactione & morte
Christi stare non possunt, vel quod aliam obtinendæ salutis
viam tuo iudicio inire, vel quod Mosaicis umbris velis inhæ-
rere. **QVONIAM IN IPSO INHABITAT OMNIS PLE-
NITVDO DEITATIS CORPORALITER**. Reddit ratio-
nem maximè prægnantè, quare cavere debeant, ne prætextu
Philosophiæ vel legis Mosaicæ à Christo abducantur, q. d. Fru-
stra & absurdè extra Christum vel in traditionibus humanis,
quamvis Philosophiæ & subtilium inventionū venditentur
titulo, vel in ceremonijs, quãvis à Mose promulgatis, doctri-
na & media, quæ ad salutem necessaria sunt, quaruntur. Nam
in Christo, in ea videl. persona, quæ Christus est, inhabitat o-
mnis plenitudo Deitatis, hoc est, quicquid est natura & essen-
tia divina *σωματικῶς* corporaliter, ita videl. ut in corpore sub-
stantialiter unito. Omnino enim per hoc verbum unio per-
sonalis indicatur, & corpus videtur poni *Synechdochicῶς*
pro integra natura humana. *σωματικῶς τὸ εἶναι ἐν τῇ σαρκὶ αὐτῆς*
inquit Athanasius lib. de humana natura suscepta. **Habitat**
quoq; **Deus**, qui nil est nisi Deitas, **in omnibus creaturis per**
essentiam, præsentiam & potentiam, ut dici solet. **habitat in pijs**

v. 9.



per gratiam, sed neque in his, neque in illis habitat *σωματικῶς*, hoc est, ita ut ipsorum corpus suum faciat, & illorum naturam sua personalitate compleat & substantialiter terminet sive sustentet. Hoc enim est, Deitatem in Christo habitare corporaliter, nempe corpus Christi Deitati substantialiter uniri atque adeo ipsius Dei corpus esse. Non igitur unio accidentalis est aut inhabitatio per efficaciam aut gratiam, ut voluit Nestorius: quinimo, si Deitas in Christo corporaliter & substantialiter inhabitat, non erit nisi una persona, sicut anima cum corpore in quo est non nisi unā personam constituit. Præterea si inhabitat, non miscetur aut confunditur cum corpore, sive cum carne & natura humana, quam inhabitat, ut docuit Eutyches. Quod si autem in Christo omnis plenitudo Deitatis inhabitat, inhabitat quoque omnis plenitudo virtutis, veritatis & sapientiæ. Absurdum itaque fuerit Christi merito vel Christi doctrinæ non acquiescere, sed tanquam ad salutem satis non essent, legis ceremonias & hominum traditiones admittere: quandoquidem ille *unica oblatione consummavit omnia* Heb. x, 14. & *omnia que audivit à patre suo, nota fecit nobis* Ioh. xv, 15. **ET ESTIS IN ILLO COMPLETI**, Illius videlicet plenitudo in vos, qui in ipsum creditis, redundat; *Ex illius plenitudine omnes accepimus* Ioh. 1, 16. *Omnia implet in omnibus* Eph. 1, 23. Quicquid igitur scientiæ ad viam salutis cognoscendam, quicquid meritorum ad salutem reapse obtinendam requiritur, in ipso atque ipsius ductu & beneficio estis consecuti, ut nec vanis hominum commentis, nec circumcisione, aut reliquis Mosaicis ritibus vobis opus sit. **QVI EST CAPVT OMNIS PRINCIPATVS ET POTESTATIS**, ut eo magis intelligatis, omnino absurde aliud præter ipsum caput, sive dominum alium quæri: Sedet enim *ad dexteram Patris longe supra omne imperiū & potestatem & potentiam* Ephes. 1, 21. **IN QVO ETIAM,**

v. 10.

v. 11.

ETIAM, siue cuius beneficio CIRCVMCISI ESTIS CIRCVMCISIONE non quidem Iudaica, qua particula præputij sit ablata, sed SINE MANIBVS FACTA, nempe *circumcisione cordis vel animi, in spiritu, non litera*, uti appellatur Rom. II, 29. & de qua Ieremias cap. IV, 4. & Moses Deut. X, 16. *Circumcidite præputium cordis vestri.* Item Deut. XXX, VI. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum & cor seminis tui ad diligendum Dominum Deum tuum.* CORPORE PECCATIS CARNIS EXVTO, ita videlicet *ut non regnet peccatum in mortali vestro corpore, nec auscultetis desiderijs eius* Rom. VI, 12 *ut, quod concupiscit caro, non perficiatis* Gal. V, 16. PER CIRCVMCISIONEM CHRISTI, quam videlicet Christus resecatis pravis cupiditatibus & contumacia animi vestri suo Spiritu suaque gratia in vobis operatus est. EI CONSEPULTI PER BAPTISMVM, PER QVEM ET CVM EO SVSCITATI ESTIS, nempe noster baptismus cum externo ritu, tum significatione & efficacia Christi sepulturæ respondet. Nam quod ritum attinet, sicut qui sepelitur, terra occultitur; ita qui baptizatur, aquis. Quod autem attinet significationem & efficaciam, sicut Christus sepultus valedixit vitæ mortali, siue mortalitatem prorsus deposuit, & sepulcro resurrexit ad vivendum vitam novam, nullique infirmitati & corruptioni obnoxiam. ita qui baptizatur, cupiditatibus carnalibus & studio peccandi renunciat, & è baptismo emergens, à morte, qua peccato mortuus erat, resurgit ad vitam novam, quam beneficio & ductu Spiritus Sancti à peccatis alienam Deo vivat. Ad eundem plane modum loquitur Rom. VI, 4: *Consepulti sumus ei per baptismum in mortem, ut, sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Est vero, quasi dicat: Ut quid circumcisionem carnis Mosaicam recipiatis, cum beneficio Christi circumcisionem animi obtinueritis? quod si autem

V. 12.

si autem de externo ritu sive signo agitur, ne illo quidem destituumini. Nam circumcisioni baptismus successit, & vos per baptismum habetis, quicquid Iudæi per circumcisionem habere potuerunt. **PER FIDEM OPERATIONIS DEI**, hoc est, per fidem quâ credidistis, *Deum summa cum exuberantia facere & operari posse supra ea quæ petimus & cogitamus* Eph. iii, 20. Sicut etiam Abraham promissioni & potentiæ Dei confusus *sub spe contra spem credidit* Rom. iv, 18. Sive potius per fidem quam in vobis per efficaciam spiritus sui Deus operatus est. **QVI SVSCITAVIT EVM EX MORTVIS**, nempe idem Deus, eadem potentiâ, quâ suscitavit Christum à morte corporis ad vitam gloriosam, nos quoque credentes suscitavit à morte peccati ad vitam gratiæ. Quam potenter enim & sublimiter in nobis credentibus Deus operari possit, ejus specimen exhibuit in resuscitatione & glorificatione Christi, uti pluribus hoc ipsum exponitur Eph. i, 19, & seqq. **VOSQVE MORTVOS IN DELICTIS**, hoc est, æternæ morti propter delicta vestra obnoxios, **ET IN PRAEPUTIO CARNIS VESTRAE**, hoc est, in vitiositate & immundicie animi, mentis, & totius naturæ vestræ, quæ spiritualiter erat incircumcisa, & dedita cupiditatibus & cogitationibus carnis; quicquid enim immundū erat, præputiū habere dicebatur; Inde *domus Israel præputiata corde* Jer. ix, 26. Imo *arbores*, quarū fructu vesci non licebat, *præputiata* Levit. xix, 23. **CVM EO Christo videlicet VIVIFICAVIT**. Eadem locutio Eph. ii, 5. nempe ad similitudinem Christi resuscitati è morte corporis, vos è morte peccatorum suscitavit, **VOBIS CONDONATIS OMNIBVS DELICTIS**, **DELENS QVOD ADVERSVS NOS ERAT** *κατεργεσθαι τοῖς δόγμασιν*, in ritibus sive ceremonijs positum. Nam idem hîc dicit, quod Eph. ii, 15. *τὸν νόμον τῶν ἔντο*

v. 13.

v. 14.

ἐπιπέλων ἐν δόγμασι καταργήσις; QVOD ERAT NOBIS SVB-
 CONTRARIVM, nempe in ritibus Veteris Testamenti ma-
 gis erat delictorum confessio, quam expulsio, & quotidianis
 victimis iterum atque iterum repetitis, testabantur publice,
 se capitalem noxam meruisse. Ritus igitur isti ab hominibus
 illorum temporum frequentati erant, quasi χειρόγραφον ipso-
 rum manu consignatum, quo testarentur se mortis esse reos,
 tenerique criminibus, quæ morte necesse esset expiari, cuius
 mortis quidem typus esset mors victimarum, non tamen
 pollens virtute tollendi ipsa crimina, illorumque reatum.
 Nam ut docet nos epistola ad Heb. cap. x. sub initium,
lex ijs hostijs quas singulis annis easdem continenter offerunt, nun-
quam potest accedere confirmare, alioquin desissent offerri pro-
pterea quod cultores semel purificati nullorum peccatorum amplius
sibi conscij essent, at in istis fit repetita mentio peccatorum quotan-
nis, non enim potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata.
 Et paulo post v. ii. *Omnis sacerdos adstat quotidie sacro mini-*
sterio defungens, & easdem sepius offerens hostias, quæ nunquam
possunt auferre peccata. Ex his manifestum est, homines
 Antiqui Fœderis eo ipso, quo sacrificia offerebant, peccata
 agnovisse, & ita agnovisse, ut se mortis reos & satisfaciendo
 non esse faterentur. Quotquot igitur antiquitus secundum
 legem Mosaicam sacrificia offerebant, intuebantur in illis
 reatus & poenæ suæ imaginem, & quasi syngrapha quadam
 testabantur, se à criminibus non expiari posse nisi morte, &
 hanc quidem victimis figurari, nec tamen per ipsas à morte
 quenquam liberari. Ad hunc itaque modum lex ceremonia-
 rum & sacrificiorum dum secundum eam crimina fateba-
 mur, & nondum pro ijs reapse satisfactum esse, nec à nobis
 satisfieri posse agnoscebamus, χειρόγραφον erat nobis sub-
 contrarium, non quidem penitus contrarium, quia sacrifi-
 cijs illis figurabatur ut ica illa & absolutissima victima, qua
 F futu-

futurum, ut expiaretur iniquitas & adduceretur iustitia aeterna. Dan. ix, 24. & consummarentur in perpetuum illi qui sanctificantur. Heb. x, 14. Quia tamen eiusmodi sacrificijs operati de nostro reatu & veræ victimæ absentia testimonium perhibebamus, erat nobis quodammodo contrarium, Christus vero sustulit id ipsum è medio affixum cruci, sua videlicet morte, quam in cruce sustinuit, omnes sacrificiorum figuras abrogavit. Nempe cum nos solvendo non essemus, venit unigenitus Dei Filius, & non modo pro nobis debitisq; nostris satisfecit, & obligationem qua juxta sententiam Dei in Adamum ejusque posteros latam aeternæ mortis rei eramus, ipsamque adeo maledictionem & damnationem peccatis nostris debitam sustulit; sed ceremonias etiam, quas obeundo, obligatos nos esse, olim profitebamur, abrogavit, ne quod extaret tristis & horrendæ illius obligationis monumentum. Sic igitur umbras ceremoniarum complendo sustulit, ut & nos à jugo duræ servitutis liberaret, & syngrapham, qua debitum nostrum contestabamur, disaceratam in crucem tanquam in trophæum tolleret, eique quasi in rei gestæ memoriam affigeret, & inter gerini parietis septum odij & inimicitiarum inter Iudæos reliquosque populos causam, ut exponitur Eph. ii, 15. dirueret. **EXSPOLIATOSQUE PRINCIPATVS ET POTESTATES**, malos videlicet genios, *qui accusabant nos coram Deo die ac nocte* Apoc. xii, 10. **TRADVXIT PALAM**, hoc est, exarmatos & potestate sive tyrannide, quam in nos propter peccata nostra obtinuerant, exutos, ostentui habuit, nempe per *mortem suam abolevit eum, penes quem erat mortis robur, hoc est, diabolum*, Heb. ii, 14. **TRIVMPHATIS ILLIS PER SEMETIPSVM**, hoc est, sua ipsius virtute & potentia. **NE QVIS IGTUR VOS IVDICET**, hoc est, condemnet, sive religionē, aut scrupulum conscientiæ vobis injiciat ob non servatas antiquas

V. 15.

V. 16.

antiquas ceremonias, OB CIBVM VEL POTVM, eorumque discrimen quod Levit. xi. præscribitur neglectum, AVT RESPECTV FESTI solennis, AVT NOVILVNII, AVT SABBATORVM, more judaico & ex præscripto Mosis non celebratorum. Nihil autem hoc obstat, quo minus ex instituto & consensu Ecclesiæ certos dies peculiariter divino cultui & audiendo Evangelio impendamus. QVAE SVNT (loquitur in præsentem incolumi adhuc templo Hierosolymitano) VMBRA RERVM FVTVRARVM, hoc est, figura quædam eorum, quæ per Christum vere erant exhibenda, sacrificia videlicet figurabant consummatissimum Christi sacrificium, mundities cibi & potus adumbrabat puritatem mentis à Christo conferendam: festivitas solennitatum & Sabbatorum significabat tranquillitatē animi & gaudium conscientiæ per fidem Christi obtinendum. Hinc Heb. x, i. *Lex umbram habet futurorum bonorum, non ipsam expressam formam rerum.* CORPVS AVTEM EST CHRISTI: quicquid videlicet per istas umbras fuit significatum & tenuibus quasi lineamentis depictum, id vobis vere & reapse in Christo tanquam in solido corpore est exhibitum. Atque hæc contra eos, qui Mosaicos ritus in Ecclesiam invehere moliebantur, dicta sunt: in sequentibus sermo dirigitur adversus alteram sectam, quæ titulo Philosophiæ & sublimis sapientiæ proprias easque vanas inventiones & traditiones de cultu angelorum & abstinentia nonnullorum ciborum Christianis obtrudebat, sive ut in superioribus exposuimus, è Simonis schola prodierit, sive tradux fuerit Essenorum, conversorum quidem ad Christum, sed statuta, quibus assueti erant, Christianismo immiscere satagentium. *μηδεις ἡμᾶς καταβραβεύτω*, NEMO VOS SEDVCAT, Secundum vulgatum: *nemo vos reos peragat sive criminis arguat.*



guat. Secundum Syrum, cum quo convenit apud Oecume-
 nium Phocius, qui accipit pro κατακρινέτω: nemo vos superet,
 hoc est, nemo adversum vos brabeum accipiat; hoc enim grace di-
 citur καταβραβεύετω quando quis in certamine positus iniquitate
 agonotheta vel insidijs magistrorum βραβεύειν & palmam sibi debi-
 tam perdit, secundum Hieronymum ad Aglariam q. 10. cui
 consentit Theodoretus. Nemo vos convincat, secundum Au-
 gust. epist. 59. Nemo vobis palmam intervertat, secundum E-
 rasmum. Nemo adversum vos rectoris partes sibi sumat, secun-
 dum Bezam. Sane βραβεύειν est regere & moderari, quod
 constat etiam ex capitis seq. v. 15. καταβραβεύειν itaque hoc
 loco nihil aliud videtur esse, quam imperiosam quandam
 potestatem exercere, & quidem ita, ut de quibus loquitur,
 tam sibi indebitam arrogant, inque eos, in quos minime
 conveniebat, usurpent. Hinc enim addit ἑλῶν, hoc est,
 sua sponte & arbitrato ad ejusmodi gubernandi & vobis im-
 perandi munus nec destinatus, nec vocatus. **IN SVBMIS-**
SIONE ANIMI, affectata videlicet, dum specietenus in mo-
 ribus & gestibus insignem quandam humilitatem præ se fert.
ET CVLTV ANGELORVM, de quo jam ante satis dixi-
 mus. **PEDEM INFERENS IN EA**, **QVAE NON VI-**
DIT, plurima videlicet verba faciens de angelis, eorumq;
 nominibus, quæ ab Essenis conservari ex Josepho supra di-
 cebamus, vel gradibus & ordinibus, in quibus describen-
 dis multus est pseudoDionysius Areopagita, cum ramene-
 jusmodi illis revelata non sint, nec ab hominibus in hac vita
 cognosci possint. **TEMERE** & sine ulla vel ratione vel cau-
 sa, ut manifesto intelligas hinc ab Apostolo reprehendi, qui
 magnam quidem & subtilem rationem prætexant, sed re-
 bus recte consideratis, nulla ratione nitantur, sive ut dici
 solet, cum ratione insaniant. **INFLATVS CARNIS**
SVAE

SVAE SENSU, hoc est, tumidus scientia, qua se præ alijs
 pollere somniat, cum non sit nisi sensus carnis, hoc est, ina-
 nis persuasio, & ille absque ullo fundamento secutus vani-
 tatem ingenij sui excogitarit, quæ titulo inusitatae eruditio-
 nis & sublimis Philosophiæ venditat. Et hinc quoque con-
 stat *ταπεινοφροσύνη*, quam paulo ante eiusmodi homini tri-
 buebat apostolus, non nisi de affectata & simulata accipi-
 endam esse, etiamsi sermone, vestitu, incessu, abjectissi-
 mam conditionem & humilitatem præ se ferat, reapse ta-
 men ipsaque mente animi arrogantissimus & superbissimus
 est. **NEQUE RETINENS CAPUT**, Christum vi-
 delicet, sed alia tradens quam quæ Christus tradit & tradi
 voluit, quin excutiens gratiam & spiritum Christi, **EX**
QVO utpote capite **TOTVM CORPVS** catholicæ
 Ecclesiæ **PER COMMISSVRAS ET CONNEXVS**
 diversorū membrorum **SUPPEDITATVM, CONSTRV-**
CTVM ET COMPACTVM AVGESCIT DEI AVG-
MENTO, hoc est, divino, quod & à Deo proficiscatur
 & Deo placeat, nempe sicut Spiritus, qui ad sensum & mo-
 tum est necessarius, à capite in totum corpus derivatur, &
 singulis membris, quæ per juncturas & articulos invicem co-
 hærent, facultatem sentiendi & movendi impertit; ita Spiri-
 tus gratiæ à Christo tanquam capite in ipsius membra, puta
 fideles Christianos per mutuæ charitatis juncturas connexos
 diffunditur, ijsq; spiritualem vitæ & vigorem suppeditat, ut
 singulis pro sua mensura & proportione augescantibus to-
 tum corpus crescat, quod iisdem fere verbis dicitur Eph. IV, 16.
 Hoc autem sibi vult, eum qui à Christi doctrina discedat, suoq;
 ipsius arbitratu adminicula & media consequendæ salutis
 comminiscatur, à Christo semetipsum avellere & separare,

V. 19.

F 3

ut



v. 20.

ut amplius cum Christo tanquam membrum in capite non
 cohæreat, nec ab ipso Spiritum gratiæ & vitæ accipiat,
 ITAQUE SI MORTVI CVM CHRISTO (eadem locu-
 tio Rom. vi, 8.) consepulti videlicet ei per baptismum, ita ut
 sitis in eo completi & circumcisi circumcissione sine mani-
 bus facta, LIBERATI ESTIS non solum à peccato, corpo-
 re peccatis carnalibus exuto, sicut superius expositum fuit,
 sed liberati etiam estis AB ELEMENTIS MVNDI, à riti-
 bus & ceremonijs Mosaicis, quibus mundus ad pietatem in-
 stituebatur & poenas propter peccata sua sibi debitas agno-
 scebat & contestabatur, nempe qui mortuus & sepultus est
 cum Christo, is hoc ipso mortuus est peccato, & per conse-
 quens non obligatur syngrapha illa decretorū sive rituum,
 quibus confessionem peccatorum contineri supra ad v. 14.
 dicebamus. Si igitur immunes estis à ritibus, quos diximus,
 ab ipso Deo quondam institutis & per Mosen promulgatis,
 QUID TANQVAM VIVENTES IN MVNDO, quasi
 adhuc esset ille status mundi qui fuit ante mortuum & sepul-
 tum Christum (nam priusquam Christus ipse mortuus & se-
 pultus esset, nemo ei commortuus & consepultus dici po-
 tuit, multo minus priusquam institutus esset baptismus, per
 baptismum Christo consepultus esse quisquam dici potuit)
 quid, inquam, tanquam viventes prioribus illis mundi se-
 culis, quibus nemo potuit cum Christo mortuus & sepul-
 tus dici, & quibus conveniens erat ritus observare, *δογματι-
 ζεσθε*, dogmatibus & institutis sive ritibus oneramini: dog-
 mata enim hîc ritus sunt, uti etiam supra v. 14. & Eph. ii, 15.
 & quidem ritibus non à Deo injunctis, sed ab otioso hominū
 ingenio profectis, quibus videlicet præcipitur; NE ESI-
 TAVERIS, hoc aut illud genus animantis sive cibi, imo
 NEQVE GVSTAVERIS ET NE ATTIGERIS quidem, decre-

v. 21.

decreſcentibus enim verbis indicatur, in quantum creverit ſuperſtitio, & per *μῦθος* quædam Apoſtolus ex illorum hominum inſtitutis ſive præceptis in medium producit. Eſt autem argumentum à majori ad minus: Si nos Chriſtiani mortui mundo & commortui Chriſto, ne quidem ceremonijs divinitus inſtitutis tenemur, multo minus obligamur præceptis & traditionibus hominum. **QVAE OMNIA IPSO VSV PEREVNT**, hoc eſt, nullam prorsus habent utilitatem quæ ſe aliquo uſque extendat, ſed hoc ipſo quo fiunt & obſervantur pereunt; verbi gratia. *Dederis potum frigida uni ex diſcipulis Chriſti nomine diſcipuli, non perdes mercedem tuam* Matth. x, 42. At obſerves quæ illi præſcribant, abſtineas ab eſu, imo contactu harum illarumve rerum, fruſtra eſt, quod aliquam inde ſperes utilitatem. Nam eo ſenſu quo ejuſmodi inſtitutis uteris, perit omnis eorum fructus, quia ſunt præſcripta ſecundum præcepta & doctrinas hominum, qui obſervat Dei præcepta, habet quod juxta divinas promiſſiones ſperet & expectet: *at fruſtra colunt me docentes doctrinas, præcepta hominum,* ait Servator Matth. xv, 9. ex Eſaiæ xxix, 13. Et ſicut mox ſubiicit, *non quod ingreditur in os polluit hominem, ſed in ventrem cedit, & per ſeceſſum eicitur; non enim eſt regnum Dei eſca & potus* Rom. xiv, 17. **QVAE** inſtituta hominum **RATIONEM QUIDEM** ſive ſpeciem quandam externâ **SAPIENTIAE HABENT IN CVLTV VOLUNTARIO**, quem illi ſuo opte ingenio finxerunt, & ſuo arbitratu elegerunt, **ET SVBMISSIONE ANIMI**, quam illos eximiam ſed ſimulatam præ ſe ferre ſupra diximus, **ET IN EO QVOD CORPORI NON PARCANT**, ſive corpus rigida diſciplina & abſtinentia caſtigent & affligant, **NEC TAMEN VLLIVS SVNT PRETII**, **CVM SPECTENT** ad ſaturitatem carnis ſive **AD EA QVIBVS FARCITVR CARO,**
hoc

V. 22.

hoc est, posita sint in cibo & potu, in quibus non est firum regnum Dei, quasi dicat: Habent potius speciem quandam legum sumptuariarum, quam religiosarum & facientium ad negotium salutis. Alij in hunc modum exponunt: Illa præcepta posita sunt in nimia austeritate, qua corpus vexatur, ut nullus ei honos habeatur, nec saturetur ad mediocritatem, sicut natura quæ paucis alias contenta est, exigit.

TERTIVM CAPVT.

V. 1.



Ostquam observationem cum ceremoniarum Mosaicarum, tum traditionum humanarum rejecit, & Christianis minime convenire ostendit, hinc jam de germanis pietatis exercitijs agere incipit, & quibusnam studijs Christianos deceat occupatos esse exponit. ITAQVE, inquit, SI RESVRREXISTIS CVM CHRISTO, quemadmodum superiore capite v. 12. ostensum fuit; Est enim illatio ex ijs quæ ibi dicta fuerunt, si per baptismum cum Christo resurrexistis ad vitam novam & cœlestem, SVPERNA QVAERITE, sursum animos & corda vestra tollite & hoc agite, ut mentis puritate, vitæ innocentia, charitate proximi Deo serviatis, ea tractate quibus Deo jungamini & cœlorum consortium adeatis. VBI CHRISTVS EST AD DEXTERAM DEI SEDENS, divina videlicet pollens potentia & fulgens gloria, nempe Christus ipse eo quo visibilem corporis sui præsentiam nobis abstulit cœlisque intulit, docere nos voluit, animum à terrenis rebus avocandum & ad cœlestia elevandū, sive studijs quæ cœlorum participes faciant imbuendum esse. Ejusmodi vero sunt non quæ homines sunt commenti, sed quæ Deus ipse de suo cultu, timore & dilectione proximi præcepit. SVPERNA, inquam, CVRATE, quæ cœlitus mandata

V. 2.

mandata ad veram pietatem faciunt, NON TERRE-
 STRIA, cibi videlicet & potus discrimina & alia similia,
 in quibus, proprijs licet ad inventionibus, summam pieta-
 tis perperam collocant. NAM MORTVI ESTIS, cum
 Christo videlicet, sive ad mortis Christi similitudinē mor-
 tificati estis mundo, peccato & legis elementis, ET VITA
 VESTRA ABSCONDATA EST CVM CHRISTO,
 nempe sicut Christus quando mortuus erat nō credebatur
 aut sperabatur reditur⁹ esse ad vitā, & gloria, qua resurgens
 potitus est, prorsus erat abscondita & mortalibus incogni-
 ta, imo videbatur fieri non posse, ut ea aliquando potire-
 tur. Ita quoque vita vestra abscondita est cum Christo,
 vita, inquam, gratiæ qua nunc quidē fruimini, & vita glo-
 riæ, quam expectatis, abscondita est cum Christo, hoc est
 ad similitudinē Christi & modum, quo vita & gloria Chri-
 sti aliquando erat abscondita & mortalibus incognita. IN
 DEO, hoc est, in Dei virtute & potentia per quam uti Chri-
 stus suscitatus est, ita quoq; vos suscitabimini & suo tem-
 pore glorificabimini. Non itaque magis mundo cogni-
 ta vita vestra, qua Deo vivitis, quam cognita fuit vita
 Christi cum in sepulcro lateret, nec magis intelligit vitam
 gloriosam qua donabimini, quam videt aut intelligit glo-
 riosam vitam, quam Christus post resurrectionem suam
 apud Patrem suum vixit. Non enim solum cum Christo
 mortui estis, sed etiam una cum eo suscitati. At vita ad
 quam suscitati estis, quam fide jam tenetis & ad quam spe-
 tenditis palam facta non est, sed abscondita & hominibus
 incognita, ut nulla prorsus sit ratio, quare ab hominibus
 vobis præscribi patiamini, quæ faciunt ad consequendam
 vitam, quam vos ex parte jam possidetis, & illi cujus colo-
 ris sit, non norunt. POSTQVAM AVTEM CHRIS-
 TVS

V.3.

V.4.

G

STVS

STVS VITA ILLA NOSTRA, autor & causa vitæ nostræ, quam sive in gratia vivimus, sive in gloria vivemus, MANIFESTVS FACTVS FVERIT, in altero videlicet illo & postremo suo adventu, TVM ET VOS CVM EO PATEFIETIS GLORIOSI, tum palam fiet & universis hominibus atque angelis innotescet, qualem vitam in fide Christi Deo vixeritis, & quantam gloriam Deus vobis præpararit. *Nunc enim filij Dei sumus, sed nondum manifestum factum est, quod erimus, scimus autem fore, ut cum ipse factus fuerit manifestus, similes ei simus* 1. Joh. II, 2. Et *transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori ejus glorioso* Phil. III, 21. Cum igitur vivatis vitam cœlestem, novam, ab aspectu hominum & mundi oculis absconditam, uti decet vitam ejusmodi & illos, qui eam vivunt, MORTIFICATE MEMBRA VESTRA TERRESTRIA, propter ingens discrimen, quod est inter hominem ante regenerationem & hominem post eam, ut videri queant quasi duo diversi homines: hinc Apostolus cum Rom. VI, 6. tum Eph. IV, 22, 24. & hoc loco pro abstractis concreta ponit, & non modo dicit vetustatem & novitatem, quemadmodum Rom. VI, 2. *novitatem vite* Rom. VII, 6. *novitatem spiritus* Rom. XII, 2. *novitatem mentis* dixit, sed prorsus veterem hominem & novum hominem dixit, neque id abludivit ab usitata loquendi ratione: Eum enim qui valde immutatus sit novum hominem dicere consuevimus. Distinguuntur itaque vetus homo & novus homo, non quidem numero aut specie, sed qualitatibus. Veteris autem hominis quasi membra quædam ex quibus ipse, quâ vetus est, constet, quibus vigeat, moveatur, & operetur sunt prævæ cupiditates, & quæ inde oriuntur crimina & delicta. Ex his, inquam, quasi com-

posi-

†.s.

positus & conflatus est vetus homo. Dicit igitur Aposto-
 lus: *Mortificate*, id est, abrogate & procul removete mem-
 bra vestra terrestria, id est, veteris hominis, qui terrenus
 est & non nisi terrena intelligit & appetit. Dixi enim
 paulo ante superna curanda esse & nō terrena, nempe tan-
 tum abesse debet, ut vos terrena curetis, ut etiam membra
 terrena debeatis mortificare, ne eorum desiderium aut amor
 animis vestris insideat & dominetur vosq; transversos agat.
 Proponit autem farraginem quandam vitiorum mortifi-
 candorum SCORTATIONEM, IMPVRITATEM,
 omnis videlicet generis lasciviam, MOLLITIEM sive
 intemperantiam affectuum vel incitamenta libidinis
 CVPIDITATEM MALAM, quæ est fons & sca-
 turigo præcedentium delictorum, ET AVARITIAM,
quæ est radix omnium malorum, i. Timoth. vi, 10. Imo
 IDOLOLATRIA uti expositum Ephes. v, 5. *OB QUÆ
 perpetrata flagitia VENIT sive venire solet IRA DEI
 SVPER FILIOS INOBEDIENTIÆ, id est, homines
 contumaces Deoque rebelles. *IN QVIBVS tamen
 vitiis, ut vobis pristinae vestrae conditionis immensa que
 Dei erga vos benignitatis in mentem veniat, ET VOS
 AMBVLASTIS QVONDAM (ita quoq; loquitur Eph.
 ii, 2.) CVM IN IIS VIVERETIS sive operam illis da-
 retis. *AT NVNC DEPONITE ETIAM VOS ISTA
 OMNIA, IRAM videlicet EXCANDESCENTIAM,
 MALITIAM, MALEDICENTIAM sive studium calum-
 niandi & convitiandi, OBSCOENITATEM, *MEN-
 DACIA, CVM, sicut ante dictum fuit, mortui sitis & se-
 pulti cum Christo atq; adeo EXVTI VETERE ILLO
 HOMINE CVM FACTIS & vitiis sive membris IPSIVS.
 ET resurgentes itidem una cum Christo ad novitatem vi-

v. 6.

v. 7.

v. 8.

v. 9.

v. 10.

ta INDVTI SITIS NOVO ILLO QVI RENOVA-
 TVR IN AGNITIONEM, id est, ita ut voluntatem Dei
 & myſteria ſalutem noſtram concernentia ex revelatione
 & illuminatione Sp. S. agnoſcat & firmiter credat SE-
 CVNDVM IMAGINEM EJVS QVI IPSVM CON-
 DIDIT; nempe hac ipſa myſteriorum agnitione & quæ
 eam ſequuntur cum germana, efficaci & à Spiritu S. pro-
 feſta fiducia, ſpe, & caritate imago Dei conditoris in ho-
 mine reſtituitur. Idem enim eſt *cum Chriſto reſurgere*
 & *novum hominem induere*, quod eſt imaginem Dei re-
 cipere, ſive ſecundum Dei imaginem reformari & reno-
 vari. Sicut etiam *peccato mori* nihil aliud eſt quam vete-
 rem hominem exuere. Quemadmodum itaque homo
 primum conditus per totius naturæ ſuæ reſtitutionem di-
 vinæ ſapientiæ, juſtitia & bonitatis imaginem præ ſe tulit,
 ita quoque homo renatus per dona Sp. S. quæ in ipſum
 effunduntur eandem Dei perfectionem & puritatem pro
 modo hujus vitæ & Dei beneplacito denuo repræſentare
 incipit, atq; ita denuo per Chriſtum ad Dei imaginem quã
 quidẽ in Adamo habuit, ſed amiſit, creatur & efformatur.
 * VBI, quando de hac reſtitutione & reparatione imagi-
 nis divinæ agitur, NON EST GRÆCVS ET JVDÆVS,
 nullum illa diverſitas parit diſcrimen, ut propter eam al-
 ter alteri præferatur, non eſt CIRCVMCISIO ET PRÆ-
 PVTIVM, tantundem refert num ſit circumciſus vel præ-
 putiatus, BARBARVS, aut non vulgaris barbarus ſed
 etiam SCYTHA, qui à noſtris regionibus & moribus re-
 motior, SERVVS, LIBER, quamvis inter ſervilem & li-
 beram conditionem ingens ſit diſcrimen, hic tamen id
 non attenditur: SED OMNIA ET IN OMNIBVS eſt
 CHRISTVS, id eſt, omnia, quæ reſtitutionem imaginis
 divi-

V. II.

divinæ concernunt, & ut apud Deum in gratia simus faciunt, sine talium diversarum vel nationum vel conditionū respectu in omnibus præstat Christus, modo omnes ab ipso invitati, ipsiusque spiritu præventi & excitati ipsum ipsiusque multiplicia & cœlestia gratiæ hominibus necessariæ dona non excludant. * **INDVITE ERGO SICVT ELECTI DEI, SANCTI ET à Deo DILECTI,** sicut electos Dei, sanctos & dilectos serio inducere & non saltem obiter adspicere vel dicis ergo attingere oportet, **VISCERA MISERATIONVM,** oportet intime affici commiseratione erga calamitosos proximos [sic *viscera misericordie Dei, Lucæ 1, 78; viscera ac miserationes, Phil. II, 1.*] **BENIGNITATEM,** ut alijs lubenter beneficiatis, **HVMILITATEM** vel submissionem animi, **MANSVETVDINEM, IRÆ COHIBITIONEM** sive patientiam, * **SVFFERENTES** vel tolerantes **ALII ALIOS,** ET **CONDONANTES VOBIS MUTVO, SI QVIS ADVERSVS ALIQVEM HABVERIT QVERELAM;** seque offensum vel læsum esse sentiat. Petimus enim prece Dominica quotidiana, ita dimitti nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris: denunciavit Servator, *ita Patrem suum cœlestem facturum nobis nisi remiserimus suo quisq; fratri ex cordibus nostris offensas eorum,* quemadmodum faciebat iratus domino servo, qui noluerat conservi sui misereri, Matth. XIX, 35. dicit sanctus Johannes I, Epist. III, 14. *Nos scimus nos esse translatos ex morte ad vitam quia diligimus fratres. Qui non diligit fratrem, manet in morte. Quisquis odit fratrem suum homicida est; & noster nullum homicidam habere vitam æternam in se manentem.* Ut igitur habeamus vitam æternā in nobis manentem, nec aliquando acceptam, sive jus ad eam, excu-

v. 12.

v. 13.

G 3

tiamus

tiamus & amittamus, oportet non odisse fratrem. Quum
 jubeat sanctus Paulus Christianos sibi mutuo condonare,
 exemplum & normam condonandi proponit, quam præ-
 buit Christus, SICVT, inquit, ET CHRISTVS CON-
 DONAVIT VOBIS, ITA ET VOS. Sicut Christus
 vobis condonavit innumera & grandia vestra delicta, non
 exigens ullam satisfactionem; ita & vos vobis mutuo
 condonate offensas. At juxta hodiernam doctrinam Pon-
 tificiam Christus fidelibus suis ita condonat eorum deli-
 cta, ut remissa culpa reservet pœnam, luendam sive in hac
 vita, sive post mortem in purgatorio, in quo non sit mitior
 cruciatus, quam in ipso inferno, discrepans non nisi dura-
 tione. Si itaque fideles fidelibus ita fas est sibi mutuo con-
 donare, sicut fidelibus suis ipse condonat Christus, tum
 sequitur condonationem eam recte fieri cum reservatio-
 ne postulandæ & irrogandæ paræ compensationis & vin-
 dictæ: aut falsam esse hypothesein de vindicta, quæ post re-
 missam culpam exigatur in purgatorio, sicut est revera.
 Quod hic dicit Apostolus, eodẽ sensu expressit Eph. IV. 32:
Condonate vobis mutuo offensas scilicet, sicut & Deus in
 ¶.14. *Christo condonavit vobis.* * SVPER HÆC AVTEM
 OMNIA, quæ paulo ante nominatim expressa sunt, IN-
 DVITE CARITATEM, QVÆ EST VINCVLVM
 PERFECTIIONIS, sive vinculum perfectum (sicut supra
 versu sexto *filij incredulitatis* pro filiis vel hominibus in-
 credulis) perfecte connectens inter se officia, quæ sibi mu-
 tuo Christiani debent, & ipsos Christianorum animos:
 ¶.15. sicut è contrario invidia, odium, ambitio, superbia, ira-
 cundia & contentiones perturbant & dissipant. * ET
 PAX DEI, quam Deus intendit, requirit & donat, *Reg-*
seveto tanquam brabeuta PRÆSIDEAT & gubernet IN
 COR-

CORDIBVS VESTRIS, ut ad eam habendam & conser-
vandam vel seruariendam omnia dirigantur, & malitis de
jure vestro remittere, quam per vos tranquillitatem pub-
licam turbari: AD QVAM ETIAM VOCATI ESTIS.
Sicut vocati sunt Christiani ad agendam vitam non im-
probam vel flagitiosam, sed emendatam & sanctam, ita
quoque ad pacem, sine qua consistere non potest Chri-
stianæ vitæ sanctimonia, vocati sunt. *Nempe igitur quæ
ad pacem faciunt sectemur, & quæ ad mutuam edificationem,*
Rom. XIV, 19. *Idem sapite, in pace agite, & Deus caritatis
ac pacis erit vobiscum,* II. Corinth. XIII, 11. Ad pacem, ait
hoc loco Apostolus, vocati estis IN VNVM CORPVS:
nam sicut corpus unum est & membra habet multa, omnia ve-
ro illa membra corporis, quod unicum est, etsi multa sunt, unum
tamen sunt corpus: ita & Christus, I. Corinth. XII, 12. Chri-
stus una cum suis fidelibus, tanquam cum membris facit
unum corpus mysticū, cuius ipse est caput, Eph. IV, 15; V, 23.
Et sicut non cadit in corpus naturale, nisi fuerit monstro-
sum, ut duo habeat capita; ita quoque, si proprie loqua-
mur, non potest cadere in mysticum, cui in scriptura nul-
lum aliud ullibi præter Christum tribuitur. *Ecclesia est
corpus ipsius,* Eph. I, 23. *Multi unum corpus sumus in Christo,
singulatim autem alij aliorum membra,* Rom. XII, 5. Rursus
I. Cor. XII, 26. *Itaque siue patitur unum membrum, compa-
tiuntur omnia membra, siue honore afficitur unum membrum,
congratulantur omnia membra. Vos autem estis corpus Christi,
& membra particulatim.* ET GRATI igitur ESTOTE
propter tantum vobis habitum honorem, quod facti sitis
membra corporis Christi. Modus autem agendi gratias
hic erit. * SERMO CHRISTI, hoc est, doctrina, Evan-
gelium Christi (sic cap. IV, 3. *Deus aperiat nobis ostium ser-
monis, ut loquamur mysterium Christi*), INHABITET IN

VO-

v. 16.



VOBIS COPIOSE CVM OMNI SAPIENTIA faciente ad necessariam cognitionem mysterij evangelici, quæ videlicet demum vera est & summa sapientia, & nisi diuinitus revelata esset, nemini mortalium innotuisset. *Loquimur sapientiam non seculi hujus, sed sapientiam Dei in mysterio, id est, latentem & occultam, 1 Cor. II, 7.* Addens, quomodo homines etiam minus eruditi facere possint, ut in ijs notitia mysterij evangelici copiose inhabitet, & semper innovetur, DOCENDO, inquit, ET ADMONENDO VOS MUTUO PSALMIS ET HYMNIS Dei opera & laudes complexis, & canticis non mundanis, vanis vel lasciuos amores irritantibus, sed SPIRITVALIBVS, CVM GRATIA, cum dexteritate & venustate ad ædificationem proximi idonea; sic mox cap. IV, 6. *Sermo vester semper cum gratia sit sale conditus: cum gratia CANENDO IN VESTRO CORDE*, ut non tantum os cantet, sed ori cantanti cor conveniat & respondeat, DOMINO. Junge Eph. V, 19. * ET QUIDQVID FECERITIS SERMONE AVT FACTO, id facite IN NOMINE DOMINI JESV, tum invocato nomine & auxilio Jesu, tum respectu habito ad ejus laudem & gloriam, si non semper actu, minimum tamen ex habitu & generali proposito siue intentione nunquam revocanda: *sive editis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite, 1. Corinth. X, 31: GRATIAS AGENTES DEO ET PATRI PER EVM*, nempe Dominum Jesum, per quem obtinemus, quidquid boni in nos Deus ad salutem nostram confert. Eph. V, 20. ita effert: *Gratias agentes semper de omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri*, quod videlicet hactenus corpus & animam benigne sustentaverit & aluerit, & siue prospera siue aduersa ita gubernaverit, ut cuncta adju-

mento

7.17.

mento essent ad bonum, Rom. iix, 28. *In omnibus igitur gratias agite: hac enim est voluntas Dei per Christum Jesum erga vos*, 1. Thessal. v, 18. Exhortationes, quæ omnes tangunt, hoc generali præcepto concludit: subjungit quæ faciant ad homines certorum statuum.

* **VXORES SVBIIICITE VOS PROPRIIS VIRIS, VT CONVENIT IN DOMINO,** v. 18.

nihil videlicet requirentibus aut præcipientibus, quod Dominum offendat, aut cum lege divina pugnet: Nempe si maritus idololatriam, homicidium aut quid simile imperet, obtemperandum non est. De eadem subjectione Ephes. v, 22; 1. Petri iii, 1.

* **VIRI DILIGITE** (vocabulo diligendi comprehenditur, quidquid uxoribus suis debent mariti) **VXORES, ET NE ESTOTE ADVERSVS EAS AMARVLENTI,** v. 19.

difficiles, morosi, ne turbetur concordia domestica & tranquillitas animorum, & *interrumpantur preces*,

1. Petr. iii, 7. Mutua conjugum officia per analogiam Christi & Ecclesiæ declarantur Ephes. v, 22. & seqq.

* **FILII AVSCVLTA TE PARENTIBVS IN OMNIBVS,** v. 20.

cum limitatione tamen, quæ obsequio, quod maritis uxores debent, subjungitur: **HOC ENIM PLACET DOMINO**, qui hoc præceptum cum promissione primitus promulgavit, Ephes. vi, 2.

* **PATRES NE IRRITATE** vel (ut est Ephes. vi, 4.) ad iram provocate **LIBEROS VESTROS, NE DESPONDEANT ANIMVM**, ne se ad frugem pervenire posse desperent, & studium in melius progrediendi prorsus abjiciant. v. 21.

* **SERVI AVSCVLTA TE PER OMNIA DOMINIS SECVNDVM CARNEM,** v. 22.

non solum bonis & equis, sed etiam iniquis &

H

pravis,

pravis, I. Petr. II, 18. NON OBSEQUIIS AD OCULUM EXHIBITIS, VT QVI HOMINIBVS PLACERE STVDENT (eadem dicuntur Eph. VI, 6.) SED CVM SIMPLICITATE & sinceritate CORDIS, TIMENTES DEVM, ut obsequium, quod heris præstatur, proficiatur non ex metu iracundiæ eorum, nec ex spe emolumentorum, quæ conferre possint, sed ex timore Dei obsequium illud mandantis. * ET QUIDQVID FECERITIS, EX ANIMO PRÆSTATE, simpliciter & sincere, TANQVAM DOMINO, ET NON HOMINIBVS, tanquam respicientes præceptum Domini, & non qualitatem hominum. Addit Tit. II, 9: *Non sint responsatores, nihil intervertant, sed omnem bonam fidem ostendant, ut doctrinam Servatoris nostri Dei ornent in omnibus.* Quomodo tractaverint, quantis fraudibus & mendaciis heros suos servi gentiles ludificaverint, ex Comicis notum est: vult autem Apostolus illucescere discrimen inter servos adhuc gentiles, & ad fidem Christi conversos. * SCIENTES, qui videlicet conversi & Christiani estis, VOS A DOMINO RECEPVTROS MERCEDEM HAEREDITATIS æternæ: ea enim probam & integram Christianorum vitam consequitur, non aliter quam laborem merces, etiamsi proprie & stricte loquendo nemo eam mereri possit: NAM dum omnem bonam fidem ostenditis, ut doctrinam Christi ornatis, DOMINO CHRISTO SERVITIS * QVI VERO iniquus & savus herus INIVRIAM INTVLERIT innoxio servo, REFERET INIVRIAM sive pœnam injuriæ, QVAM INTVLERIT: NEC EST PERSONARVM ACCEPTIO
apud

v. 23.

v. 24.

v. 25.

apud Deum, sicut etiam dicitur Rom. II, II. & in hac eadem materia Ephes. VI, 9: nempe injusta facta in factoribus nullo dominorum & servorum discrimine Deus vindicabit. Crudelitas in servos gentilibus alias nec inusitata nec interdicta. Corrigit tamen ductu rectæ rationis Seneca libro primo de Clementia cap. XIII. *Servis, inquit, imperare moderate laus est: & in mancipio cogitandum est, non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat æqui boniq; natura. --- Quum in servum omnia liceant, est aliquid quod in hominem licere commune jus vetet.* Subjicit sævitiam Vedii Pollionis, qui Cæsari Augusto amicus mancipia, quæ offensus, vivariis immergere, & murænis devoranda objicere solitus fuerit. Meminit quoque Plinius historiæ naturalis libro IX, cap. XXIII. Quomodo hanc immanitatem aliquando retuderit Cæsar Augustus, memorat Dio Cassius libro LIV: quod auditoribus, ut putamus, haut ingratum erit cognoscere. *Muranas, ait Cassius, in piscinis alebat, & eis mancipia, quæ morti addixisset, objiciebat. Quum aliquando Augustum convivio excepisset, & calicem crystallinum minister poculorum fregisset; muranis eum, ne conviva quidem pudore motus, projici jussit. Quum puer ad Augusti pedes procideret, eiq; supplicaret, primum Augustus persuadere Pollioni conatus est, ne quid hujusmodi ageret: quod ubi frustra fuit, Agedum, inquit, profer omnia pocula, quæ hujus generis, aut alioquin pretiosa habes, ut iis utamur. Allata omnia confringi jussit. Quod etsi indigne ferebat Vedius, quia tamen neque propter unicum poculum, respectu tantæ eorum; quæ perierant, multitudinis amplius irasci, neque pænas ejus, quod Augustus egisset, à servo exigere poterat; invictus etiam conquievit.*

QVAR.

QUARTVM CAPVT.

v.1.



OMINI, QVOD IVSTVM EST ET AEQVVM
SERVIS PRÆSTATE; ad justum & æquum re-
spicite, & non ad id, quod per gentilem con-
suetudinem licet: VT QVI SCIATIS, VOS

QVOQVE HABERE DOMINVM IN COELIS (idem dicit
Ephes. VI, 9.) qui iudicaturus justum & æquum spectabit
& secularem personarum diversitatem non attendet.

Fini præcedentis capitis, de peculiaribus vitæ statibus
tractanti, rectius conjungeretur hic versiculus; post

v.2.

quem ad generales exhortationes reditur. * IN PRECI-
BVS PERDVDATE, INVIGILANTES IIS CVM GRATIA-
RVM ACTIONE. Sic I. thess. V, 17: *Sine intermissione
orate. In omnibus gratias agite.* Nempe pro benefi-
ciis impetratis gratiæ, & pro impetrandis ac perpetuan-
dis preces adhibendæ. Cupit etiam pro se preces fieri,

v.3.

* VT DEVS, inquit, APERIAT NOBIS OSTIVM SERMONIS,
VT LOQVAMVR MYSTERIVM CHRISTI: *Vt sermo Domi-
ni currat & glorificetur*, est II. thess. III, 1. * VT ILLVD

v.4.

MANIFESTVM FACIAM SICVT OPORTET ME LOQVI, *ut
notum faciam mysterium Evangelij*, Eph. VI, 19. * SAPIEN-
TER & circumspicte AMBVLATE ERGA EXTRANEOS, ad-

v.5.

huc à fide Christi alienos, OPPORTVNITATEM sive occa-
sionem eos ad meliorem mentem & rectam fidem tradu-
cendi captantes, & vel aliquo rei vestræ familiaris di-
spendio REDIMENTES & impensa quasi mercatores.

v.6.

* SERMO VESTER SEMPER CVM GRATIA, quæ ad pro-
gressum in pietatis studio faciat, sit S A L E CONDITVS,
non redoleat scurrilitatem vel lasciviam, qualis dicitur
putris, σαπής Eph. IV, 24. sed sit, ut ibi sequitur, *commo-*

dus

mus ad adificationis usum, ut gratiam sive profectum in pietate auditoribus adferat. Quæ sequuntur de Tychico, qui Româ hanc ad Colossenses, & alteram ad Ephesios attulit, & de Onesimo, de quo agitur in epistola ad Philemonem, & de Aristarcho atque aliis, interpretatione non indigent.

* *QVVM PERLECTA FVERIT APVD VOS EPISTOLA, FACITE VT ETIAM IN LAODICENSIVM ECCLESIA LEGATVR: quum enim sibi invicem vicinæ essent, videntur habuisse communia cum viris, tum adversus ea rectius sentientium iudicia: ET VT SCRIPTAM EX LAODICEA, VOS QVOQVE LEGATIS.* Recte expendit Chrysostomus verba, *τὴν ἐν Λαοδικείᾳ*, & inde infert, quam Apostolus à Colossensibus legi jubeat, non esse à Paulo ad Laodicenses scriptam, sed è Laodicea ad Paulum forte ipsum vel alium, de rebus utriusque ecclesiæ communibus. Idipsum post Chrysostomum docet Theodoretus, *quæquam*, inquit, *nonnulli aliter sentiunt, & hinc fictam epistolam proferunt.* Qualia figmenta Apostolis & viris Apostolicis supponere antiquitus haut infrequens fuit. Hieronymus de Doctoribus Ecclesiæ cap.v: *Legunt quidam & ad Laodicenses sancti Pauli epistolam, sed ab omnibus exploditur.* Prima videlicet & orthodoxa ecclesia, quænam ab Apostolis virisque Apostolicis scripta certa & genuina accepisset, ignorare non poterat; & ut à majoribus accepta sancte custodiret, summam operam dabat. Quum igitur de scripto an Apostolicum sit, inquiritur, testimonio prisce ecclesiæ recte utimur. *Ecclesiæ quidem veritate epistolam ad Ephesios habemus à sancto Paulo emissam: sed Marcion hæreticus ei titulum aliquando interpolare gestiit, & Ephesios Colossenses substituere.* Ita Tertullianus adver-

ψ.16.

sus Marcione in libro v, cap. xvii: qui etiam paulo ante cap. xi. dixerat, *Epistolam quam nos ad Ephesios præscriptam habemus, heretici Marcionitæ ad Laodiceos inscribunt.* Hinc quod Epiphanius, qui Marcionem prolixè refutavit, quæ in epistola ad Ephesios leguntur, ab illo ex epistola ad Colossenses produci observat. *Neq; enim, inquit, miserrimo Marcioni visum fuit ex epistola ad Ephesios testimonium illud adferre, sed ex ea ad Laodiceos, qua apud Apostolum nulla est.* Ita Epiphanius sub finem hæreseos XLII, qua contra Marcionem multis disputat, Philastrius scriptor parum accuratus loquitur in hunc modum: *Alij Luca Evangelistæ ajunt epistolam etiam ad Laodiceenses scriptam. Et quia addiderunt in ea quadam non bene sentientes, inde non legitur in Ecclesia, etsi legitur à quibusdam, non tamen in Ecclesia legitur populo.* Hæc ille, scriptor quidem antiquus, sed, ut diximus, non admodum magnæ peritiæ & minoris adhuc judicij. Habentur adducta capitulo, cui præfigitur titulus, Hæresis quorundam de epistola Pauli ad Hebræos. Ut curioso lectori satisfiat, confictæ ad Laodiceenses epistolæ, sicut eam Faber Stapulensis commentario suo in epistolam ad Colossenses subjunxit, & Sixtus Senensis Bibliothecæ suæ sanctæ libro secundo inferuit, exemplum adjicietur. Manifestum autem ex dictis Paulinarum epistolarum & potissimum epistolæ ad Colossenses confarcinatum esse.


EPISTOLA AD LAODICENSES.

PAVLVS APOSTOLVS non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Jesum Christum, fratribus, qui estis Laodiceæ, gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo. GRATIAS ago Christo per omnem

omnem orationem meam, quod permanentes estis & perseverantes in operibus bonis, promissionem expectantes in die iudicij. Neque disturbent vos quorundam vaniloquia insimulantium veritatem, ut vos avertant à veritate Evangelij, quod à me predicatur, & nunc faciet Deus, ut qui sunt ex me ad profectum veritatis Evangelij sint deservientes, & benignitatem operum facientes, quæ sunt salutis vitæ æternæ: & nunc palam sunt vincula mea, quæ patior in Christo, in quibus lator & gaudeo. Et hoc mihi est ad salutem perpetuum, quod factum est orationibus vestris, administrante Spiritu sancto, si ve per mortem, est mihi vivere vita in Christo, & mori gaudium: & ipse in nobis faciet misericordiam suam, ut eandem dilectionem habeatis, & sitis unanimes. Ergo dilectissimi, ut audistis presentiam Domini, ita sentite, & facite in timore: & erit vobis vita in æternum: (est enim Deus, qui operatur in vobis) & facite sine peccato quacung; facitis: & quod optimum est, dilectissimi, gaudete in Domino Jesu Christo, & cavete omnes sordes in omni lucro. Omnes petitiones vestrae sint palam apud Deum. Estote firmi in sensu Christi, & quæ integra, & vera, & pudica, & casta, & justa, & amabilia sunt, facite, & quæ audistis & accepistis, in corde retinete: & erit vobis pax. Salutant vos omnes sancti. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro Amen.

Hanc facite legi Colossensibus, & eam, quæ est Colossensium, vobis.

FINIS.



153 155

X2615745

K

VD 77

COMM
qu





10.


GEORGII CALIXTI
S. THEOL. D. ET IN
ACAD. IVLIA PRIMARII
PROF.

IN EPISTOLAM
SANCTI APOSTOLI PAVLI AD
COLOSSENSSES

EXPOSITIO LITTERALIS.

QVOMODO ILLA ANTE ANNOS XXX. QVVM PVBLICE
PROPONERETVR EXCIPI POTVIT.

NUNC PRIMUM EDITA.



BRVNSVIGAE,

Typis & sumptibus ANDREAE DVNCKERI,
M. DC. LIV.

